Cum ante hos tredecim fere annos Quaestiones nostras Horatianas edidissemus, in quibus et de ordine ac tempore, quo poëmata sua Horatius vel scripserit vel digesserit atque ediderit, contra Bentleianas potissimum rationes disputare suaque tempora et libris Horatianis et singulis eclogis assignare conati sumus, et de rebus nonnullis ad singulares hominum ac temporum conditiones pertinentibus paulo diligentius explorata proposuimus, nescio qua vel fortunae prosperitate vel temporis opportunitate factum est, ut complurium virorum doctorum studia iam ante ab hac materia tractanda haud aliena (velut Weicherti, Richteri, C. Passovii, G. F. Grotefendi, quorum commentarios non opus est ut satis notos hic memorare) acrius etiam exarserint, ut pluribus vel libellis vel plenis voluminibus cum summatim de Horatii vita, ingenio, moribus ac poësi, tum de librorum ab ipso editorum ordine et de singulorum poematum indole ac temporibus singillatim quaerere ac disserere instituerint. Ac primum Car. Frankii in Fastis Horatianis (Berol. 1839) exhibitas subtiles accuratasque disputationes honorifice commemoro. Tum Guil. Sigism. Teuffelius insigni ingenii sagacitate studiique assiduitate pluribus commentariis et de singulis vitae Horatianae partibus et de poematum temporibus egit. W. E. Weberus in libro „Q. Horatius Flaccus als Mensch und Dichter" (Jenae 1844) ingeniosa qua consuevit sollertia nec minore acumine quam eruditione his de rebus disseruit. H. Düntzerus in libro: „Kritik und Erklärung der Hor. Gedichte" Brunsv. 1840 — 1844 rationes suas liberrime persecutus est. Streubernus in libro: „Chronologie der Hor. Dichtungen" (Bas. 1843) varias virorum doctorum sententias inter se comparavit: Zumptius V. Cl. in Wüstemanni nova Sermonum ex rec. Heindorfii editione suam de Satirarum temporibus sententiam exposuit, et B. de Walckenaer, ex doctis Francogalliae nobilibus, duobus voluminibus satis amplis (Histoire de la vie et des poesies d'Horace. Paris 1840) in eodem argumento copiose versatus est. Alii praeterea haud pauci de rebus singulis singularibus libellis egerunt, quos vel omnes memorare longum, vel singulos praeterire invidiosum est. Quorum omnium variis disputationibus, etsi haud pauca accuratius quam olim perquisita et illustrata sunt, tamen ut fit in rebus dubiis et obscuris, cum sua cuique maxime placerent, vere effectum est, ut major quam antea perturbatio exstiterit, nec solum res dubiae in incerto relictae sed quae explorata iam et concessa viderentur, in dubium denuo vocata sint. Ita quasi in ancipiti libra suspensa pleraque etiam nunc haerent, ut poesis Horatianae studiosi quo se vertant, quas variorum sententias amplectantur, fere nesciant, id quod etiam in libris operum Horatianorum nuper editis auctoribus evenisse animadvertimus.

Nostrae quoque suo tempore (a. 1834) favore eruditorum exceptae Quaestiones, de quibus Obbarii viri tam exquisita doctrina quam animi candore excellentis (Jahn Annal. 1836. Vol. 16. Fasc. 1): Bährii V. Cl. (in Annal. litter. Heidelb. 1835) Doederleinii V. Cl. (in Annal. litterar. Monacens. 1836): Langii V. Cl. (in Annal. crit. Berol. 1835. T. II.) judicia honorifica grato animo legimus, communem tamen ejusmodi scriptorum sortem haud effugerunt, ut alia aliis vel placuerint, vel displicuerint, nonnulla doctorum assensu probata, alia vel addubitata vel rejecta acriterque impugnata sint. Atque ejusmodi dissensionibus ac disceptationibus, si modo cum ea qua decet inter

1

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

eruditos, animi integritate ac modestia, sine stolida arrogantia vel praejudicata opinione fiunt, cum opus sit in rebus dubiis ad verum vel eruendum vel magis confirmandum, equidem iis vere semper gavisus sum nec quicquam obloquentibus succensui, cum praesertim in opusculo nostro propter angustos ejusmodi scriptionum cancellos pauciora modo plenius illustranda et comprobanda sumsissem, plura primis modo lineis adumbrassem, haud pauca in tabula chronologica proposita indefensa adhuc reliquissem. Plena igitur et ex omni parte munita demonstratione erit opus, ut sententias a nobis propositas confirmemus ac stabiliamus. Quam operam Horatio nostro debitam praestare non minus quam alteram Satirarum partem versibus Germanicis redditam et paratam edere dudum in animo fuit. Sed et temporum conditiones interim obstiterunt, quae alia nos consilia litteraria exsequi jubebant (nam in libro: „*Akademische Propaedeutik*“ Lipsiae **1842**. omnis eruditionis orbem ac viam litterarum studiosis aperuimus, et in sacris scholae Portensis saecularibus tam Musas Portenses quam recentiorem Portae historiam edidimus) et ipsius muneris publici gravitas impediebat, quae paucas modo nobis horas subsecivas ad haec studia recolenda concedit. Nec vero morae tam longae interpositae poenitet, dum orbem paene suum hae variorum disceptationes conficient, quibus etsi non semper assentimur, vere tamen oblectamur. Tantum autem abest, ut his quas adhuc legimus, virorum doctorum de temporibus Horatianorum operum disputationibus rationes nostras certis et firmo inter se nexu junctis observationibus subnixas vel labefactatas vel eversas putemus, ut perpauca ac leviora si exceperim nunc aliter a nobis constituta, summam earum in dies magis confirmatam videam. Id quod suo loco et tempore pleniore argumentatione probare conabimur. Paucis enim jam agi non poterit, quum ipsa materies majorem in molem accreverit, quam quae angustis hujusmodi scriptionis terminis includi possit.

Itaque his Novis Quaestionibus, hac scribendi occasione nobis oblata, alia quaedam ex copiis nostris ad historiam criticam Horatianorum operum pertinentia afferemus, cognitu non minus digna et ad integram poetae lectionem restituendam fructuosa, opinationum licentiae minus fortasse obnoxia. Cum enim multis abhinc annis, repositis ad tempus curis, quas aliis nonnullis tam Graecis quam Latinis scriptoribus dicaveramus, ad Horatii, dilectissimi nobis poetae, opera recensenda, et quantum fieri posset, emendatius edenda animum applicassemus, id perfici non posse rati, nisi fontes ipsius lectionis, codices msc ptos dico et libros typis expressos tam vetustiores quam recentiores, qui quidem alicujus momenti essent, accuratius cognovissem et pervolutassem, huic operae per plures deinceps annos, quantulumcunque otii nobis tributum fuit, impendimus. Quo in consilio perficiendo mirum quantum nos adjuvit insignis liberalitas ac benigna voluntas summorum virorum, et ejus qui rebus sacris omnisque doctrinae cultui in imperio nostro praeest, Eichhornii V. Ill. et Regis legati apud Helvetios, Comitis de Lottum V. Ill. et bibliothecis praefectorum Falkenstenii V. Cl. Dresdensis, Demuthii ac Naumanni V. V. Cl. Lipsiensium, Ukerti V. Cl. Gothani, Beneckii olim, Schneidewini V. Cl. professoris nunc Gottingensis, Gerlachii V. Cl. professoris Basileensis, Mülleri V. Cl. professoris Bernensis et complurium praeterea doctorum virorum, qui operam suam benigne nobis praestiterunt. Quibus omnibus debitam gratiam et habeo et hic publice refero. Eorum enim ope ac benevolentia ad quinquaginta codices msc ptos nacti sumus, in iisque nonnullos omnium vetustissimos, quorum longe plurimos ipsi accuratissime ex omni parte contulimus, nonnullorum lectiones excerptas virorum doctorum diligentiae debemus. Et quia permagni refert, grammaticorum quoque et scholiastarum veterum lectiones nosse, ut qui nostris multo antiquiores codices usurpaverint, non scholiastas solum veteres sed grammaticos quoque et quos amplum Putschii, nunc Lindemanni corpus continet, et reliquos Nonium Marcellum, Priscianum, Isidorum, Julium Rufinianum, al., tum interpretes veteres

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Terentii, Virgilii, Juvenalis, Persii, Statii, et scriptores veteres, qui locos Horatianos afferunt, Quintilianum inprimis, diligenter pervolutavimus, locosque, quos citant, omnes excerpsimus. Praeterea codicum ab aliis viris doctis et olim et nuper collatorum lectiones omnes diligenter congessimus et editiones operum Horatii potiores, de quibus plerisque in praefatione nostra ad Satirarum Vol. I. p. CIV — CXVI. egimus, a saeculo XV. usque ad nostram aetatem fere centum cum virorum doctorum commentariis perlustravimus.

Sic apparatus criticus ad Horatium paulatim nobis accrevit, qualem non facile alius quispiam ex superioribus in eodem opere occupatis congessit. Quibus ex copiis, ut ad fontium Horatianae lectionis cognitionem aliquid conferamus et ad justam Horatianorum operum editionem, si vita viresque suppetent, viam nobis muniamus, jam nonnulla in medium proferemus, quantum quidem praescripti hujus operis limites concedent. Ac primum codices, quibus usi sumus, paulo accuratius describemus, tum de rebus nonnullis ad historiam textus (quo vocabulo abstinere nobis non licuit) Horatiani pertinentibus, velut de antiquis scholiastis et interpretibus Horatii, nec non de codicum msctorum atque editionum vetustiorum familiis agemus, et codicum omnium adhuc collatorum indicem in tabula exhibebimus, postremo disputationes de octo versibus satirae decimae praemissis et de carminibus libri III. duodecimo et libri IV. octavo addemus.

## I.

## Codicum L. quibus usi sumus descriptio.

Codices msctos nostros partim omnia Horatii opera, partim aliquot vel singulos eorum libros, partim laceras eorum particulas continentes quinquaginta numéramus; ex quibus triginta sex ipsi in manibus habuimus et ad verbum accurate contulimus. Sunt autem Berolinenses quinque, Dessavienses tres, Lipsienses quinque, Dresdenses quinque, cum quatuor aliorum lectionibus excerptis, Gothani tres, Gottingenses duo, Guelpherbytani tres, Monacenses quinque; tum ex Helvetia Basileenses tres, codex Turicensis, codex Morellianus a nobis dictus, codicum trium Bernensium lectiones a Muellero V. Cl. nobis excerptae. Tum codicis Menteliani lectiones ad marginem ed. Desprez 1695 adscriptae, quam benigne nobiscum communicavit Gersdorfius V. Cl. bibl. acad. Lipsiensis praefectus. Dein Sylloge Burmanniana, quae in bibliotheca regia Berol. servatur, Petri Burmanni manu lectiones ex tribus mss. vetustissimis, Graeviano, Leidensi et Zulichemiano excerptas continens usque ad Od. L. IV. c. 2. in quo desinit. Sed Graeviani codicis lectiones omnes ab Jano Broukhusio ad. marg. ed. Heinsii Lugd. 1612 adscriptas cum illis conferre nobis licuit per Hessii V. Cl. bibliothecae ac tabulario principis Rudolstad. praefecti humanitatem. Praeterea Burmanni sylloge Nic. Heinsii conjecturas et notas breves continet. Libri mscti autem, quos Heinsius citat, nil nisi Cruquiani sunt codices, licet ipsius olim fuerit codex Lips. 3, b. Altera Burmanni sylloge collationes duorum codd. Dorvillianorum et cod. Corbeiensis complectitur, de quibus infra agemus.

Horum codicum complures et olim et nuper ad usus virorum doctorum in recensendis Horatii scriptis adhibiti sunt. Sed quod dolendum est, plerisque eorum non ipsos codd. msctos inspicere licuit, sed lectiones inde excerptas modo in manibus habuerunt. Sic Jani olim, vir diligentissimus et de Lyricis Horatii meritissimus, in Carminum editione modo msctorum ab aliis collatorum lectionibus est usus, quare codicum omnium, quos ipse non vidit (in quibus Dessav. 1. et 2. Lipsiens. 1. 2. 3, b. 4. apud nos) descriptiones mancas ac pravas ab aliis acceptas exhibuit in proleg. p. IX — XVII.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Idem fere Obbario nostro, viro eximia doctrinae copia praecellenti et Horatii interpreti praestantissimo, in amplissima Epistolarum editione accidisse video, ut lectiones plerumque excerptas pro ipsis msctis usurpaverit. Gesnerus quidem ad Baxteri ed. a. 1751 typis repetitam codicem Gotting. 1. nostrum negligentius et singulis modo locis adhibuit. Nec vero poenituit codicem Turicensem ab Orellio V. Cl. non ubique satis diligenter excussum, ad nostros usus denuo contulisse. Quantum enim codices ipsos inspexisse praestet, is facile mecum sentiet, quicunque ad scriptoris veteris alicujus lectionem eos, praecipue vetustiores, adhibuerit. Non enim antiquam solum librarii manum a correctionibus posteriore manu factis facile discernet, quam rem non satis attendere conferentes solent, et quod permagni refert, orthographiam vocum nimis adhuc neglectam observabit, sed totam codicis faciem et indolem, litterarum ductus, librarii consuetudinem, vitia vel virtutes, inscitiam ac negligentiam vel curam ac peritiam in scribendo, ipsaque scholia et glossas insertas curiosius persecutus, non solum de libri vel aetate vel patria, sed de ejus utilitate ad κρίσιν majore vel minore probiliter judicabit; quae omnia ei in occulto manere necesse est, qui excerptis modo lectionibus utitur. Non enim ut quisque liber est antiquissimus, ita continuo in optimis habendus. Saepe enim evenit, ut vel insignis vetustate codex male ac negligenter ab imperito librario scriptus exigui ad crisin pretii sit, contra vel recentior a librario perito ac diligenti, ac praecipue ex bono et vetusto exemplari descriptus maximi saepe aestimandus videatur. Sic ex. gr. codex Bernensis a. nr. 363 omnium antiquissimus, sed vitiis omnis generis scatens, parum utilitatis affert. Contra Gotting. 1. noster saec. xv. lectionis puritate et integritate praestat, et Gothanus 2. noster nr. 61. chartaceus saec. xv. (cujus praestantiam Obbarius quoque agnovit ad I. Ep. 1,57. p. 12. cui lectiones inde excerptae contigerunt) magni omnino habendus, utpote qui ex vetustissimo aliquo exemplari originem duxerit. Hic codex vel idcirco memorabilis ac praedicandus videtur, quod lectionem illam a Cruquio olim in codice omnium antiquissimo Blandinio repertam, post hujus interitum in omnibus reliquis msctis frustra quaesitam, Sat. I, 6, 126. fugio campum lusumque trigonem, quod sciam unus omnium qui exstant, in textu integram, sine rasura exhibet, unde eum ex simili ipsius aliquo vetustissimo exemplari esse descriptum, recte colligitur. Non nego singulari gaudio nos esse affectos, cum hanc in lectionem incidissemus jam fere dubia fide post Cruquii aetatem audatam, quam neque Fea in Vaticanis, nec Potterus in Parisiensibus ullis mss. reperit, unusque Valart, sublestae fidei auctor, in uno Regio Parisiensi se invenisse testatur. Sed eam adhuc latuisse in libro, ubi sane non facile quaereretur, miratus sum, quod vir sagacissimus, Fr. Jacobs, bibliothecae pridem praefectus, hunc codicem et excussit (quod ipse in prima pagina sua manu indicavit) et copiosius decripsit in libro: Beiträge zur ältern Litteratur (T. I. Fasc. 2. p. 235). Haud fere minoris habenda ejusdem codicis altera pars esse videtur et ipsa e vetustissimo aliquo codice deprompta, quae non modo famosam illam Vettii Agorii consulis Romani subcriptionem exhibet, sed aliam quoque adhuc incognitam, de qua infra agemus.

Sed ut ad propositum nostrum revertamur: in cognoscendis codicibus, quotquot nobis obtigerunt, prima haec nobis cura fuit, ut aetatem cujusque secundum artis diplomaticae leges, cum toto ejus habitu, tum certis quibusdam indiciis multo librorum msstorum usu constitutis ac confirmatis quam diligentissime exploraremus. Tum scripturae forma atque indole, vitiis ac virtutibus, interpungendi modo, orthographiae ratione studiose anquisitis et consignatis, codicis lectionem diligenter excerptam cum ceteris comparabamus, ut similitudine si qua esset, patefacta in textus originem et fontem facilius posset inquiri. Tum demum plenam codicis descriptionem facere instituebamus, unde certius de eo judicium ferri posset. Qua in re perficienda debitam putamus gratiam retulisse publicarum bibliothecarum praefectis, qui thesauros suos liberaliter nobis aperuerunt, ut non

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sine usura aliqua justae librorum mss. aestimationis ex accurata eorum cognitione profectae et palam factae eos se a nobis recepisse intelligant.

Librorum msctorum sylloge a nobis congesta octo saeculorum seriem a nono usque ad sextum decimum saeculum complectitur. Bernensem quidem a. cod. saeculi IX. satis ab aliis jam excussum in nostris numerare vix licet, sed quaedam tamen adhuc ignota inde afferemus. Saeculi X. octo habemus codices collatos, Graevianum, Leidensem, Mentelianum, d'Orvillianum I., Turicensem, Morellianum, Lipsiensem 2, Dessaviensem I. Saeculi XI. quinque codices: Lipsiensem I. Monacenses 2 et 3. Bernensem e. et Zulichemianum. — Saeculi XII. novem codices: Berolinensem I. Lipsiensem 3, a. Monacenses 1. 4. 5. Dresdensem I. Basileensem 1. Bernensem f. Dessaviensem 3. — Saeculi XIII. quatuor codices: Dessaviensem 2. D'Orvillianum 2. Santenianum, Gudianum 2. Saeculi XIV. tres codices: Lipsiensem 3, b. Basileensem 2. Gudianum 1. — Saeculi XV. quatuordecim codices: Gottingenses 1. 2. Gothanos 1. 2. 3. Lipsiensem 4. Berolinenses 2. 3. 4. Dresdenses 2. 3. 5. Basileensem 3. Helmstadiensem. — Saeculi XVI. codicem Dresdensem 4. Praeterea incertae aetatis habemus collationes cod. Corbejensis et Dresdenses a. f. l. m. Ex his codicibus potiores habemus tam propter librariorum in scribendo curam et sollertiam quam propter vetustorum exemplarium unde fluxerunt, praestantiam, et antiquissimos saeculi X. libros, Lips. 2. (omnium praestantissimum) Dessav. 1., Graev. Leid. Turic. (sed eum paullo minoris habendum) Morell., et posterioris aetatis codd. Lips. 1. 3, a. Monac. 1. 2. 4. 5. Basil. 1. Berol. 1. Gotting. 1. Goth. 2. — Jam codicum nostrorum descriptionem promiscue, secundum litterarum ordinem instituemus, et ex singulis, quasi pro documento, lectiones nonnullas, nondum cognitas plerasque, ex copiis nostris addemus. Sigla autem et compendia scripturae, quae plurima sunt, pauca modo et selecta afferemus, ne typographo nimiam paremus molestiam.

1) **Bas. 1.** Codex Basileensis bibliothecae acad. sign. F. IV. 26. membranaceus, forma 8. maj. Continet a) Horatii opera omnia, fol. 1 — 91. Tum b) Virgilii Georgicon libros quatuor, fol. 93 — 110. postremo c) Ovidii Epistolas ex Ponto, fol. 119 — 162. In interiore parte tegumenti lignei incriptum est: „*Ex libris bibliothecae Academicae Basileensis* 1559. *Pretium ducentar. quinquaginta librar. helvet.*" Codd. Horatii et Virgilii Georgicon non eadem quidem manu scripti videntur, sed uterque nitide, plane et accurate scriptus saeculo XII. sine dubio attribuendus, cujus totam indolem certissime prodit. Ovidii Epistolarum cod. msc. aetatem posteriorem prae se fert et certis indiciis saeculo XIII. videtur assignandus. Horatii opera in membrana satis candida et laevigata accuratissime scripta, hoc ordine: Odarum libri IV. Carmen saec. Epodon liber. Ars poet. Epistolarum libri duo. Sermonum libri duo. In Lyricis folia nonulla confuse ligata, quorum ordo est: Fol. 16. 20. 19. 17. 18. 23. 24. 22. 21. 25. In Lyricis paginae duplices columnas habent versuum 33. in singulis omnibus. Lineae transversae per omnes paginas stilo ductae lineis binis perpendicularibus terminantur, intra quas litterae initiales, in Lyricis et Arte poëtica cum vocibus suis arctius junctae, in Epistolis et Sermonibus spatio satis lato segregatae a textu. Litterae Eclogarum initiales figuris quibusdam, praecipue in librorum initiis, animalium imagines referentibus variis coloribus nitide pictae, velut ante Artem poet. monstrum a poeta fictum coloribus accurate depictum est, plane ut in Vanderburgii cod. 13. P. Ceterae initiales omnes variis pigmentis ornatae. Etiam versuum initiales uncialibus expressae minoribus, eaeque simplices, nec variatae, nec crispae et implicitae ut in codd. saec. XIII. XIV. XV. plerisque, minio omnes notatae sunt, item tituli majoribus litteris scripti. Scriptura hujus cod. accurata, aequabilis, explicata, compendiis et siglis non frequens, in litterarum forma simplici, recta et nitida, longiorum ductibus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

(b, d, f, h, l, p, q, f) non ultra tertiam longitudinis partem vel supra vel infra lineam porrectis, et ipsa earum figura saeculi XII. indolem (qualis in Berol. 1, Dresd. 1. Lips. 3, a. Monac 1. 4 et 5) manifesto prodit. Atramentum in Odis et Epodis satis nigrum, a fol. 33 (a media parte Artis poet.) in Epistolis et Sermonibus pallidius, non fuscum, sed canum magis et subviride. — Hic codex haud pauca habet scholia ad marginem subtilissime scripta, praecipue ad Artem poet. et Epistolas, pauciora ad Lyrica et Satiras; glossas inter lineas ubique, quae cum scholiis fere omnes eadem manu eodemque atramento, quo textus, scriptae esse videntur. Pauciora scholia et glossae a posteriore manu, sed proximi tamen saeculi, additae, ipso atramento differunt. Tituli omnibus eclogis inditi breves, eadem manu qua textus, majoribus litteris scripti, velut I Od. I. *Pragmatice monocolos monostrophos ad Mecenatem.* 2. *Proseutice dicolos tetrastrophos ad Augustum.* 3. *Proseutice dicolos distrophos in navem Virgilii.* In Sermonum libris: *Ad Julium Florum; ad Torquatum; ad Numicium etc.* — Sigla et compendia scripturae haud multa et illo aevo usitata. ae dipht. haud infrequens (irae, horae, Lamiae, Camenae) æ rarius (quaestæ, meæ) sed per ę vel e simplex frequentius (horę, hedere). oe et e promiscue (hedus, coetus) ι simplex ubique (non í vel i) sed duplex i accentu saepe notatum, ut ab u littera distingueretur (diís, otií, imperií) qui mos jam saec. XI. usurpari coepit. &, ⁊ pro et, antiquo usu. ē pro est, in textu, antique; ÷ pro est modo in glossis et scholiis; 9 pro con, rarius, quod sequenti demum saeculo in usum venit. Singulari quodam hujus saeculi XII. usu (quem apud Mabill. et Benedictinos notatum me invenire non memini) numerorum signa pro litteris passim verbis immixta reperi, ut: „circa lustra x“ (pro decem) „et c (centum) puer artium“ (similiter in Dessav. 3. Dresd. 1.) etiam verba litteris uncialibus scripta passim in textu leguntur, praecipue nomina propria, CESAR, AVGVSTVS, MECENAS. — Interpunctio simplex; punctum plerumque pro omni distinctione; colon et semicolon (;) rarius. interrogandi hoc signum (⁏). Comma (,) in vestutis mss. ante saec. XVI. nusquam reperitur — Orthographia antiquum morem partim retinet, partim ab eo recedit: Juppiter (plerumque) Mecenas, Bachus, Adria, Apulus, Salusti, milia, sucus, belua, pelex, litus (littora) jocundus (in Epodis fere) Kalende, Kartago, temptare, comptus, promptus, emptus (sed damna, damnatus) iniciat, adiciat, obiciet; sed etiam: unquam, nunquam, quicquid, nequicquam (raro nequiquam) cunque, arctus etc. Terminatio in ii vulgaris, ut dii, otii ,imperii, Attii, Livii. Accusativi plur. tertiae decl. in is fere nusquam, semper in es. — Rara ceteroquin scriptionis et lectionis puritas et integritas doctum ac diligentem scribam prodit. Nonnulla vitia non tam ipsius, quam aetatis sunt, ut perpetua litterarum i et y commutatio (Lyde, Lide, Libicis, cythara, tybia, nimpha etc.): h temere additum vel omissum: (horchus, holus, harena, archanum, carta, coturnus, stomacus): c pro t frequens (vicium, Lacium, gracia, quociens, amicicia): inconstantia in litteris coalescentibus: inbellis, inpune, inmitis, inpotens, imperium, impono ect.) Quaedam tamen codicem in Italia scriptum fere arguunt, ut bacco, michi, nichil (sic semper). — Diligentis et critici librarii curam etiam variae lectiones produnt ex aliis codicibus collatis depromptae et in singulis vocibus passim superscriptae, quae plerumque eandem quam textus manum produnt, rarius tamen recentiorem. — Ex hujus codicis lectionibus nonnullas modo potiores afferam, ut quanta etiam in libris msstis lateat bonae messis ad *κρίσιν* copia, vel hinc intelligatur. I Od. 10, 3. formasti et catus. 15, 13. Nequicquam et Veneris. II. Od. 3, 11. quoque obliquo. 9, 22. tollere vertices. 10, 12. sperat adversis. 16, 3. condidit lumen. 17, 19. letalis horae. III. Od. 18, 12. cum bove pardus. 20, 1. moveas tumultu (etiam in Leid. nostro v. lect.) 26, 9. diva regis Cyprum. IV. Od. 4, 42. durus

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

per urbes. **60.** animosque. **65.** pulchrior exiet. **6, 16.** victor gravis. **9, 29.** Parum sepultae. Epod. **16, 2.** Roma perit viribus. **17, 24.** Nullum ab labore (ita Turic.) **36.** Qui finis. **I.** Sat. **1, 12.** viventes dicit in urbe. **2, 53.** verum hoc amplectitur unum. **83.** mercem sine fucis gestat apertam. **7, 11.** quibus adversum bellum incidit. vel adversis, ab antiqua manu superscr. (v. nostram Satir. Ed. ad. h. l.) **9, 27.** quibus est te salvo opus. II Sat. **1, 10.** scribendi te capit. **2, 59.** Cujus odorem oleum. **123.** cuppa potare (vel culpa supsc.) **128.** O pueri, vixistis. **3, 317.** num tandem, se inflans, sic magna fuisset? **6, 46.** rimosam — in aurem. **7, 57.** alternante libidinibus. **109.** qui puer uva Furtivam mutat strigilem. I. Epist. **16, 60.** audiri: o pulcra Laverna. **72.** frumenta penumque. II Ep. I, **226.** Cum speramus item fore venturum (ita Berol. **1.** noster.) **2, 195.** an neque sumptus — facias. A. poet. v. **3.** Undique collectis membris. **387.** descendat principis aures.

2) **Bas. 2.** Codex Basileensis 2. bibliothecae acad. sign. F. IV, **27.** membranaceus forma 8. maj. Continet, ut in prima pag. inscriptum: a) Derivationes vocabulorum. fol. **1. — 23.** b) Horatii Epistolas. fol. **24 — 51.** c) Poesis nova. fol. **52 — 82.** In interiore parte tegumenti lignei inscriptum est: *Codex Biblioth. publ. Basil. pretium ducent. ℔ Helvet. Continet folia signata* 82. — Horatii Epistolae (Ars poet. non inest) Lib. I. II. in membrana satis bona et alba scriptae, atramento paene fusco, litteris minutioribus quidem, sed satis concinnis et explicatis. In singulis paginis **29** versus inter lineas duplices (**58** cujusque paginae) badio colore ductas per totam paginae latitudinem, sed duplici linea perpendiculari in sinistra parte ad excipiendas litteras initiales, simplici in dextra parte post finem versuum ducta, altera in extremo margine, ut inter utramque scholiis locus esset. Litterarum ductus, initialium crispior figura, multa scripturae compendia et sigla, *í* fere ubique accentu notatum, lineae coloratae, haec et alia certa indicia hunc codicem saeculi XIV. esse demonstrant. — Hic liber permulta habet scholia ad marginem et glossas superscriptas, non eadem manu qua textus, sed posteriore, vel illius saeculi vel saeculi XV. ineuntis. In extrema parte folia nonnulla confuse ligata, quorum ordo est: Fol. **45. 48. 47. 46. 49.** — Sigla et compendia scripturae permulta lectionem difficilem et impeditam faciunt. Vocales paene omnes superscriptae. Interpunctio fere nulla omnino, ne signum interrogandi quidem. Distinctionis hoc signum ubique: ⁊ vel € (ex. gr. Incipe ⁊ qui recte vivendi cett). Numeri rarius signis notati ut I. Ep. **1, 58.** sex VII milia. In orthographia vocum e pro ae et oe ubique; híís pro his passim; accusativi III. declin. in is nusquam. p post m plerumque insertum; contempno, emptus, sompnus. ad, adque pro at, atque frequenter. Lectio non ubique accurata, recta et emendata; verba saepe omissa vel transposita, interdum temere mutata. — Ex hujus codicis lectionibus memorabiles nonnullas afferre liceat: I. Epist. I, **34.** quibus hos lenire dolores. **36.** laudis honore tumes. **45.** currit mercator. **55.** haec recitant juvenes. **65.** tibi suadet melius. **4, 13.** tibi praeluxisse supremum. **5, 17.** trudit inermes. **6, 42.** ait. quaeram tamen. **7, 21.** omnibus horis. **42.** nec multum prodigus. **90.** quem simul aspiciens. **10, 7.** musco circumdata saxa. **13, 6.** gravis urget sarcina **15, 25.** ac nos tibi credere. **16, 14.** fluit optimus, aptus et alvo. **18, 88.** retrorsum te ferat unda. II. Epist. **1, 46.** demo unum et demo iterum unum. **51.** ut dicunt critici. **107.** Crescere res possent. **122.** puerove excogitat. **2, 46.** dura sed amovere. **76.** versus centum meditare sonoros.

3) **Bas. 3.** Codex Basileensis 3. bibliothecae acad. sign. F. III. **6.** chartaceus in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Fol. min. corio badio tectus, **141** foliis constans. Continet a) Q. Horatii Fl. Sermonum Lib. I. II. fol. **1—46.** b) Dec. Junii Juvenalis Satiras in duos libros divisas fol. **47—130.** c) A. Persii Flacci libr. Satirarum fol. **131 — 141.** Totus hic codex una eademque manu in charta splendida, terra cimolia inducta candidissima ac laevigata, atramento vulgari non belle quidem sed luculenter et explicate scriptus. Versus in singulis paginis **22—24.** in lineis cerussa ductis, et una linea perpendiculari utrimque terminatis scripti, litteris satis magnis et pinguibus, compendiis scripturae siglisque non ita multis et simplicibus. e pro ae et oe ubique, contra oe pro e et ae passim (foelices, loeta) ι plerumque simplex, rarius puncto notatum (i). hii, hijs pro hi, his, haut pro haud, non raro. cum pro con passim (cumcredere, cumclave). i et y saepe inter se commutatae, sed nusquam michi, nichil. — Distinctio fere nulla, vel admodum rara, modo per punctum. Interrogandi signum omnino deficit. Litterae majores s. unciales rudi illius aevi ductu figuratae multumque variatae; initiales eclogarum titulique in primo Sermonum libro minio picti, etiam versuum initiales pleraeque lineola rubra notatae. Prima codicis littera Q coeruleo pigmento scripta. In altero Sermonum libro omne minium deficit. Glossae et inter versus et ad margines in primo Sermonum libro frequentiores, in altero fere nullae. Scholia paucissima. Tituli singulis eclogis partim praepositi simpliciores (ut in Sat. I, **3.** „Sermo secundus incipit." in sat. **4** „Tertius sermo." etiam lib. II. septima cum superiore nexa.), partim omnino desunt. — Tota codicis facies, litterarum ductus ceteraque indicia saeculum XV. produnt, id quod nota in ipsa charta insita probatur. Folia enim omnia hoc insigne habent in margine:  quod in Naumanni catalogo librorum mss. bibl. Senat. Lips. Tab. IX. anno **1473** tribuitur, unde in extrema illius saeculi parte hunc librum esse scriptum recte colligitur. In Germania esse scriptum, cum alia quaedam indicia probant, tum glossae Germanicae passim immixtae, v. c. I. Sat. **1, 55.** ciathus: *Ein drinckglass* (ad marg.) v. **53.** cumera: *ein Korb uss gerte gemat ist.* **104.** vappa: *proprie fit gebrochen win.* v. **105.** spado: *ein castratus.* herniosus: *ein gebrocher.* **3, 73.** tuber: *ein geschwollen fleisch.* — Lectio hujus codicis non admodum probatur. Haud pauca enim insunt menda cum in vocibus vel inscite scriptis et depravatis, vel falso inter se junctis (ut II, **4. 17.** Sive spartinus subito) tum in singulis verbis totisque versibus vel omissis vel transpositis. Spatia haud paucis locis vel singulis verbis vel totis versibus vacua relicta scribam exemplaris sui verba male scripta aut obscurata legere non potuisse arguunt. Omnino hic liber non ex antiquo aliquo bonae notae codice sed ex recentiore ac minus laudabili descriptus esse videtur, quod ex prava saepe et male fida lectione colligitur. Nam in describendis libris librarii praeter cetera menda et errores saepe etiam commenta sua pro vera et antiqua lectione substituerunt, quare ut quisque liber est recentissimus, ita plurimas plerumque lectionis varietates exhibet. In ultimis libri II. satiris lectio multo etiam vitiosior et corruptior quam in prioribus. — Ex variis lectionibus nonnullas hic affere placet. I. Sat: **1, 14.** Quod lassare valent. **48.** Forte feras humero. **49.** Qui nil portaret. **53.** Cur tua plus laudas. **80.** At si condoleat. **98.** Extremum tempus. **2, 78.** Desine sectari matronas. **5, 62.** permulta locutus. II. Sat. **1, 12.** Cupio, pater optime: vires destituunt. **3, 12.** Eupolin Archilocho. **21.** Quo faber ille. **191.** classem deducere Troia.

4) **Brn. a.** Codex bibliothecae Bernensis nr. **363** membran. in 4° Saec. VIII. exeuntis vel IX. ineuntis, charactere Saxonico minore scriptus (qui a Romano et Gothico hunc secuto multis partibus differt), antiquissimus omnium, quotquot adhuc cogniti sunt. Continet Horatii Carmi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

num libros I — IV. (deficientibus nonnullis carminibus et singulis carminum locis) Epodon lib. Carm. saec. A. poet. (praeter extremam ejus partem a v. 441.) Sermonum Lib. I. sat. 1. 2. 3. usque ad v. 134. in quo deficit. Hunc codicem Alcuini olim fuisse, aut ab ipso scriptum aut ex ipsius exemplari descriptum, Car. Guil. Muellerus amicus, tunc Professor acad. Bernensis, nunc gymnasii Rudolstad. Director V. Cl. per litteras pridem nobis significavit; Ferd. Hauthalius autem, V. Cl. qui ipse eum manibus tractavit et excerpsit, in Jahnii Annal. a. 1838. Vol. 22. pag. 338 sq. a Volcbrechto quodam, monacho Scotico, scriptum dicit. Equidem mihi persuadere non potui, ab Alcuino, homine eruditissimo, librum innumeris vitiis, non erroris modo, sed turpis ignorantiae paene obrutum, potuisse confici. Ab imperito potius librario, linguae Latinae fere ignaro, e codice non optimae notae esse descriptum, cum innumera errata, pravae lectiones et voces discerptae falsoque inter se junctae, tum vera vocabulorum portenta arguunt (ex. gr. I. Sat 2, 31 Audiresto pē ptium: audire est operae pretium. 44. catonus pro calones. 55. Mars sevus pro Marsaeus. 59. quam res tibi an trahit avunde pro: quam res trahit. an tibi abunde. 64. Utilius infaustas ulle pro: Villius in Fausta Sullae. etc.) Hoc codice Orellius usus est, sed paullo negligentius. Ejus lectiones in Lyricis a C. Guil. Muellero accuratissime excerptas idem in extremo Vol. II. ed. secundae a pag. 811 — 817 exhibuit. F. Hauthalius l. c. varias Artis poet. et Satirarum I, 1. 2. 3. lectiones vulgavit. Sed eum ipsum haud pauca in conferendis verbis fugisse, hic additis ex. gr. iis, quae in Satira 2. omisit, eadem Feae editione adhibita, demonstrabimus. v. 21. nato fugisse fugato. 36. Sic memirat orcunni 39. multå corrupta (vb. dolore voluptas desunt). 41 Hinc se praecipitem. 46. jure omnis. 49. at hic sit. 70. Magno cognatum. 71. conferbᵛuit ira. 73. meliore. 80 Nec magis inter niveos (huic omissum). 83. gesta t. apertis. 84. nec si quid. 92. spectes o crus bacchia verum. 100. invideant cur apparet ibi rem. 107. huc similis. 116. brombumque — num inguina. — In compendiis scripturae notabilis illo jam aevo litt. ę pro ae frequentissima; ÷ saepe in textu pro est. ɔ pro con (ɔferbuit). Ex schedis Muelleri humanitate nobiscum communicatis et vitae brevioris Horatianae huic codici praepositae sed aliunde jam notae varias lectiones dabimus et scripturae ipsius specimen in tabula addita exhibebimus.

Codicum Bernensium saec. X. Nr. 21 et 542, quibus usus est Orellius sub. litt. b. et c., lectiones quasdam excerptas habemus, quas suo tempore proferemus. In nostris autem hos duos numeramus, quos ille in edendis Hor. scriptis non adhibuit:

5) **Brn. e.** codicem bibliothecae Bernensis Nr. 619. membran. in 8vo saec. XI. Insunt Sermonum libri a sat. I, 9. et Epistolae, cum glossis in marginibus adscriptis.

6) **Brn. f.** cod. bibliothecae Bernensis Nr. 327. membran. saec. XII. qui Artem poëticam, Epistolarum et Sermonum libros continet. Descripsit eum cum aliis mss. Bernensibus F. Hauthalius in libro: Seebode Archiv 1829. IV. 56.

7) **Brl. 1.** Codex Berolinensis noster bibliothecae Regiae membran. saec. XII. in 8vo, sign. Nr. 5. scripta Horatii omnia continens praeter sat. I, 1 — 4, 31. Epist. II, 2, v. 3 — 216 et Artem poet. Quem in Satiris edendis olim adhibitum plenius descripsimus in Praefatione ad Satirarum Vol. I. p. XCVII — XCIX. Ex ejus lectionibus nonnullas nondum vulgatas hic placet afferre. I. Od. 35, 2. imo extollere. II Od. 3, 2. non secus ac bonis. 4, 7. medio triumpho. 6. 19. fertilis Baccho. 10, 18. citharae tacentem. 15, 10: excludet aestus. III.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Od. 16, 23. castra peto: transfuga. IV. Od. 5, 7. Effulsit populo. Epod. 5, 21. et ossa rapta ab ore. 6, 15. me appetiverit. 7, 16. mentesque percussae. II. Sat. 5, 101. Heres audieris. II. Epist. 1, 3. armis tuearis. 66. Si modo quaedam antiqua nimis. 186. plebecula plaudit.

8) **Brl. 2.** Codex Berolinensis alter bibliothecae Regiae chartaceus in 4to sign. Nr. 9. saec. XV. exeuntis, Horatii Epistolarum librum I. usque ad Epist. 18 v. 86 in 27 foliis scriptum continet, ac praeterea Boethium de disciplina scholarum et Persii Satiras cum scholiis vetustis. Horatianis Epistolis praemissa est Vita quaedam Horatii non alibi reperta, quam adhuc incognitam in Quaestionibus nostris Horat. post Praefationem typis exprimi curavimus. Eam ex vetustiore aliquo exemplari depromptam esse, cum ipsa orationis indoles, qualis grammaticorum esse solet, tum scholia ad marginem ei addita haud indocta probant. Ceterum hunc librum sub finem saec. XV. demum scriptum esse, cum ex aliis indiciis colligimus, tum inde potissimum, quod in glossis inter lineas et in largissimis ad marginem scholiis permulta habet partim ex Acrone partim ex Landini commentariis, qui primum a. 1482 in lucem prodierunt, ad verbum expressa. Scriptura maximam partem pura et emendata manum doctam et diligentem prodit. Textum autem, licet cum ed. Flor. 1482 plurimum convenientem, non ex libro typis expresso, sed ex vetusto aliquo bonae notae codice repetitum esse et propter orthographiae rationem (michi, nichil, Ulixes) et propter singulares aliquot lectiones existimamus, velut 6, 12. metuatne. 63. meminermus. 10, 41. parvo nesciat uti. 43. si minor urget. 13, 17. quae possint oculos. 15, 25. ac credere. 43. intra vilia. 16, 58. placatur. 17, 10. quem natus. 28. quodlibet indutus. 18, 82. ecquid.

9) **Brl. 3.** Codex Berolinensis 3. bibliothecae Regiae chartaceus in Folio, sign. Nr. 30. Horatii Artem poet. continens usque ad v. 462. Litterarum ductus et tota scripturae compendiis et siglis distortae facies saeculo XV. exeunte non vetustiorem esse probant. Lectio multis locis corrupta ac vitiosa et ipsa orthographiae ratio (ph. pro v saepius, ut arphum, olipha) scribam indoctum et indiligentem prodit. michi quoque legitur, et nichil. Quaedam tamen propria habet, ut 146. ab interitu Menelai. 273. lepido seponere dictum. 445. vir bonus et sapiens. 447. ambitiosa rescindet; ut ex codice aliquo vetustiore descriptum putem. Scholia multa ad marginem adscripta sunt, sed parvi aestimanda.

10) **Brl. 4.** Codex Berolinensis 4. bibliothecae Regiae chartaceus in Fol. e msctis Diezii sign. Nr. I. in amplo volumine XXIII variorum scriptorum opera partim mscpta, partim typis sub saec. XVI. initium expressa, velut Sedulii carmina, Boethium de consol. philos. et c. complectitur. In his etiam Horatii Artem poet. a pag. 281 cum scholiis ad marginem et glossis inter lineas. Litterarum ductus et scripturae compendia cum Berol. 3. plurimum conveniunt, quare saeculo XV. exeunti et hunc codicem attribuo. Ceterum e codice mscto, non e libro typis expresso transscriptum esse, propria nonnullis locis lectionis indoles probat, ut v. 138. „Quid feret hic dignum tanto promissor hiatu?" Scriptura in vocibus ipsis pauciora habet errata, sed permulta in litteris, in quibus d et t, f, ph, v saepissime commutantur (v. c. ficium, vidibus, Catmus, nepharius), ut textum ab imperito librario e viva voce dictantis exceptum putes.

11) **Corb.** Variae lectiones in Horatii libros de Arte poet., Epistolas et Satiras e

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

codice mscto monasterii S. Petri Corbeiensis, sign. R. Nr. 224. collato cum editione Haakiana Schrevelii Lugd. B. 1670. Ex sylloge Burmanniana. Codex deficit in Sat. II, 7, ut ultima Sat. desit. In his lectionibus magnam partem pravis et vitiosis multae tamen singulares insunt. Eas in Satiris nos attulimus, in Epist. L. I. Obbarius. Ex Epist. L. II. et Arte poet. potiores nonnullas hic exhibemus. II. Epist. 1, 35. quotus afferat annus. 53. Laevius in manibus. 97. Suspendit voltum picta. 115. Gestit enim in loculos nummos dimittere. 182. etiam fugat audacem hoc. 215. fastidia ferre superba. — II. Epist. 2, 11. qui volt excludere. 94. Romanis vatibus urbem. 97. Credimus et totidem. 120. Et vehemens liquidus. 137. Expulit a cerebro morbum. 202. ducimus astris. — Ars poet. 12. coeant convicia. 18. flumen Rheni. 46. carminis actor. 91. variari cena. 141. post funera Troiae. 205. sedilia cantu. 225. commendare loquaces. 276. duci nam cena. 408. carmen laudabile. Ceterum collatio Burmanniana et hujus et reliquorum codicum haudquaquam satis accurate facta est, ut in his modo, quae littera scripta indicat, ei fides habenda sit; cetera, de quibus tacet, ex libro typis vulgato, cujus ope collationem instituit, supplere minime tutum duco.

12) **Dess. 1.** Codex 1. bibliothecae Ducalis Dessaviensis membranaceus in Fol. sign. Nr. A. Nostrum esse video hujus codicis, quem ipsi diligenter pervolutavimus, eximiam indolem ac vetustatem nondum satis notam paulo accuratius demonstrare et locum ei debitum inter praestantiores Horatii codices vindicare. Nam qui adhuc ejus opibus in scriptis Horatii edendis usi sunt viri doctissimi, Janius ad Carminum libros, Obbarius ad Epistolas, non ipsi, quod dolendum est, hunc librum in manibus habuerunt, sed lectiones ab aliis inde excerptas modo protulerunt. Quorum prior ille in Praefatione ad Carm. Vol. I. p. IX. X. Happachii descriptionem exhibet, hominis in msctorum veterum lectione parum versati, qui prava aestimatione hunc codicem antiquissimum in saeculum XIV. transfert. Post eum Obbarius V. Cl. lectiones Epistolarum inde excerptas ab Aug. Fuchsio, Lindneri bibliothecarii Dessav. beneficio accepit, cuius descriptionem patrio sermone factam ex Jahnii libro (Archiv. cett. 1833. II, 2) in Praef. ad Epist. I. p. V. repetiit, in qua et titulos in prima pagina inscriptos et lacunas in textu paulo accuratius quam apud Janium indicatas videmus. Hoc modo, quod ibi legitur, codicem Anhaltinum Fabricii et hunc Janii Dessav. 1. unum eundemque esse, concedi non potest. Omnino enim alium librum fuisse, quo Fabricius olim sit usus, utriusque codicis lectiones inter se collatae facile declarant (qua de re post in Comm. II. agemus); nec, si verum est, quod Jani in Praef. p. IX. prodidit, et hunc et alterum codicem Dessav. ante C. annos ex Italia Dessaviam esse perlatos, Fabricius iam. a. 1555 hunc librum Anhaltini nomine designare eoque uti poterat. Ceterum hoc quoque animadvertimus, superiorem illam primae paginae inscriptionem: „*liber beatae Mariae virginis sanctique Cipriani episcopi et martiris in Nigeburge*“, pravam saeculi XVI. manum prodere et iis, quae inferius leguntur (l. c. ap. Obbar.), certe centum annis recentiorem esse, quod probatur etiam inferiore inscriptione: *Reparatus* (h. „vel emtus vel renovatus“, Jani.) *anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo.*

Hic ergo codex reverendae vetustatis in Fol. mediocris formae nitide et accurate scriptus, tegumentis nuper corio badio obductis decore indutus, olim male habitus est, ut non solum priora et ultima folia in marginibus lacera sint et scholiorum potissimum scriptura in primis octo foliis et in sex novissimis multo usu tritis negligenterque servatis fere prorsus evanuerit, sed multas quoque lacunas in omni parte habet a Lindnero apud Obbar. paulo accuratius quam ab Happachio apud Janium indicatas. Folia etiam nunc exstant 103, quorum ultimum vitio ligatum, penultimum



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

esse debebat. Scriptorum Hor. antiquior ordo servatus: Carminum libri IV. Ars poet. Epodon lib. Carm. saec. Epistolarum libri II. Sermonum libri II. — Hic codex in membrana maximam partem satis alba ac tenui et utrimque laevigata, passim crassiore et usu multo inquinata scriptus, foliis omnibus fere aequalibus, scripturam ubique aequalem, accuratam, nitidam et valde emendatam prae se fert, quae doctam manum facile prodat. Tota codicis indoles splendidior est, latissimo ex omni parte margine, versibus laxius scriptis in singulis paginis omnibus vicenis ternis, ut et glossis inter lineas et scholiis ad marginem sua spatia essent. Columnae versuum ubique simplices, et in Lyricis, in quibus modo Adonius Sapphico proximo adjungitur. Versus inter lineas stilo impressas scripti, quae binis utrimque lineis perpendicularibus, intra quas litterae versuum initiales pictae, terminantur et stigmatis in extremo margine notantur. Ultima quoque marginis ora linea ex omni parte ducta includitur, puto, quo paginae aequales exsisterent. Atramentum fuscum propter vetustatem plerumque pallidius. Litterae initiales versuum simplicissimae, eclogarum initiales majores passim nigrae, rarius minio pictae, plerumque omissae. — Titulis eclogae omnino carent, quod ipsum est signum probae et sincerae vetustatis. — Scholia per totum librum in margine et exteriore et interiore permulta, maximam partem ex Acronis et Porphyrionis commentariis excerpta, ita tamen, ut nonnulla etiam propria afferant, quae nec apud illos nec in Cruquii scholiis leguntur. Quaedam inde excerpta in Comm. II. dabimus. Etiam vocabula Graeca litteris majoribus rectissime scripta in scholiis apparent, ut Epod. **5, 65.** ΠΑΡΙCΤΟΡΙΑ. Passim recentior manus quaedam appinxit, sed rarius. Permultis autem locis haec scholia usu et vetustate ita abstersa et detrita sunt, ut legi jam non possint. — Glossae per omnes paginas in vocibus singulis superscriptae una cum scholiis eandem plane scripturae indolem aetatemque atque ipsi versus produnt, eodem quoque atramento scriptae, ut ab uno eodemque scriba per totum codicem versibus additae esse videantur. —

Hujus codicis cum tota scripturae indoles, tum singuli litterarum ductus, compendia scribendi et diphthongorum usus frequens saeculum decimum certissime indicant. Scriptura rotunda magis quam angulosa, nec Longobardica est, ut apud Janium legitur, sed recta Romana quae proprie dicitur. Litterae longiores ſ. f. r. et supra et infra lineam paululum productae, quae consuetudo fuit illius aetatis. Diphthongi ae et oe cum siglo æ frequentissimae, antiquissimo usu, qui paullatim demum in ę et e transiit. ſ longum ubique, s finale nusquam, quod saec. XI. usurpari coepit. ı purum semper (non ί vel i) u ubique, non v; r ubique, non ɿ; d ubique, non δ (quod licet in scriptura Saxonica prius frequentatum, in minuscula Romana saec. XI. demum in usum venit). & siglum in vocum initio, medio, fine (ut &ıam, p&o, st&), est vel ē. plerumque, (÷ ∻ pro est, rarius) con vel c̄ (com), nusquam ɔ vel 9: ђ (ha) ɱ (ma): haec omnia saeculi decimi usum incorruptum declarant. Litterae majores passim in medio versu, adeo singulis vocibus immixtae apparent (ut I Sat. **4. 105.** Ut fugerem Exemplis — I. Ep. **7**, **52.** phılıppı; **42.** heʀbae. — Interpunctionis signa sunt: punctum, colon (·/·) semicolon (;) interrogandi signum (~) punctum minus (·) pro commate. — Orthographia vocum antiqua et recta plerumque. Scribitur: Juppiter, Maecenas (raro Mecenas) caena, caelum, haeres, (heres) caelebs, caetera (cetera), obscenus, loetum, Bachus, Apulus, milia, baca, belua, pelex, sucus, artus, litus (littora), quicquid, quicquam, nequiquam, umquam, numquam, cumque, quattuor, percontor, sepulchrum; vultus, vulgus (voltus, volgo rarius) urgere (urguere rarius); littera p inter mn, ms, mt, plerumque inserta (dampno, hiemps, sumptus); litterae in compositis plerumque non coalescunt (inpune, inmiscere, subposuit, conlaudem) ii fere contractae (obicit, inicit, deicit, Bais) i et y, c et t in

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vocibus rarius commutatae (ymber, tygres, vicium) — Lectio hujus codicis plerumque proba, sincera et emendata, paucissima habet vitia negligentiae, ut in optimis et limpidissimis Horatianae lectionis fontibus hic liber recte numeretur. Ex iis quae propria habet, nonnulla afferam. I, Od. 12, 21. neque te transibo. I, Sat. 1, 121. verbum non amplius ullum. 2, 24. in contraria tendunt. 33. venas inflabit. 4, 109. atque Balbus inops. 5, 54. Contulerint lites. 6, 11. multis et honoribus auctos. 41. meus quod erat pater. II. Sat. 3, 48. Insani posuere. 8, 22. quas Maecenas. I. Epist. 10, 39. qui pauperiem fugiens. 11, 9. obliviscendus et ipsis. 18, 91. (Potores bibuli media de nocte Falerni.) hic v. deest, et in cod. Morell. In Lips. 1. 2. ad marginem adscriptus. 19, 12. Quod si quis. 24. numerosque animosque secutus. II. Epist. 2, 168. aliter putet. 175. Sed quia. Ars poet. 363. vult haec sub luce videri.

13) **Dess. 2.** Codex 2. bibliothecae Ducalis Dessaviensis membran. in 8vo maj. sign. Nr. B. recens ligatus tegumentis corio badio obductis; idem est, cujus lectionibus Jani (Proleg. p. X) et Obbarius (Praef. ad Epist. p. VII.) usi sunt. 69 folia habet, quorum ultima viginti situ et putredine partim exesa, ut tamen textus maxima ex parte servatus sit. Folia non satis inter se aequalia hispidas et scabras habent frontes; membrana sordidior omninoque inculta facie, in priore libri parte crassior est, in altera tenuior. In primae paginae, quae Od. I, 1 et 2 continet, summo margine inscriptio legitur: *Oracii Flacci*: in inferiore parte post verba quaedam non satis plana et explicita: *Liber mag.* etc., minutis litteris titulus exstat: *Oratii carminum lib. primus.* — Hic codex una eademque manu ab initio usque ad finem scriptus opera Horatii omnia continet hoc ordine: Carminum libri IV. Epodon lib. Carm. saec. Ars. poet. Sermonum libri II. Epistolarum libri II. Paginae in Carminibus et Epodis duplices habent versuum columnas, in Sermonibus et Epistolis simplices. Versus in singulis paginis 44 (secundum stigmatum ad marginem foliorum numerum) scripti sunt inter lineas stilo leviter ductas et parum expressas, ut fere evanescant, clausas utrimque binis lineis perpendicularibus, quibus litterae initiales includuntur. Atramentum paene fuscum, ut in vetustis msctis. Titulis eclogae omnes carent praeter Epistolas, quae fere minio pictos a posteriore manu habent titulos. In Arte poet. a recentiore manu superscr. „*Oracius de poesi et poetis.*" In Sermonum lib. I. *Liber sermonum oracii.* Litterae eclogarum initiales partim minio, partim atramento pictae. Litterae versuum initiales a textu distantes breviorem et simpliciorem formam prae se ferunt. — Scholia et glossae ad Artem poet. plures, ad Epistolas nonnullae, ad Satiras perpaucae tum vetustiore, tum recentiore manu scriptae; ad Lyrica omnino desunt. — Scriptura huius codicis, quam minusculam Gothicam dicunt, non ornata illa quidem nec elegans, sed plana tamen ubique et explicita, satis quidem conferta et minuta, ita tamen, ut legi commode possit. Tota eius species et indoles, angulosi litterarum ductus et singula observata in litteris et compendiis scripturae, saeculi XIII. initio hunc codicem scriptum esse declarant. Non tantum quidem scripturae facies a codicibus saeculo XII., praesertim ultima eius parte scriptis distat, ut non pleraque cum iis communia habeat, adeoque difficilis saepe fiat de certis aetatis terminis judicatio. Sed quae singula in priore aetate reperta transitus ad posteriorem indicia sunt, ea coniuncta demum si reperiuntur, insequentis aevi indolem patefaciunt. Sic in nostro codice e simplex (ę rarius) pro ae, oe fere ubique usurpatum, ut æ siglum nusquam, ae et oe rarissime appareant; qui mos saec. XII. iam inductus, saec. XIII. demum invaluit. Sic littera ı duplicata accentu in hoc cod. plerumque notatur (ut *otíí. Claudíí, Capríí, Enníí, vicíís, supplicíís* cett) quod saec. XI. fieri coepit, saec. XII. frequentius; sed ι simplex quoque sic notatum (*íma, anima, albí*) saec. XIII. consuetudinem jam indicat. Item ∂ rotun-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dum ubique, non d; 9 siglum pro con, quod saec. XIII. frequentius, priore aetate fere us finale denotat. ꝛ siglum pro & semper, et in compositis adhibitum (*ꝛenĩ*, *mouꝛ*, *habꝛ* pro etenim, movet, habet); siglum ÷ pro est etiam usu venit, sed rarius. ſ longum ex antiquo superioris aetatis usu plerumque servatum, et in fine vocum, ubi s rotundum rarius et supra lineam elatum (ut comes) usu vetusto. ꝛ quoque littera ubique, non r, quae vulgaris est saec. XIII. Ex his omnibus indiciis (etiam lineas stilo ductas, non cerussa vel colore pictas si addimus, quae a saec. XIII. frequentari coeperunt) ad initia saeculi XIII. hunc codicem pertinere, certe colligitur. — Interpunctio simplicissima; praeter punctum una fere distinctio (⸍) quae pro commate, colo, interrogandi signo (raro ⸍) valet. — Orthographia vocum in multis antiquam rationem sequitur, velut milia, pelex, sucus, belua, carta, artus (pro arctus), Bachus, set pro sed, (saepe); in multis prava et inconstans; praecipue in littera h addenda, vel omittenda mira temeritas, ut in commutandis litteris c et t, i et y. Sed mira constantia in servandis con et in ante b, p, e. (Adeo *Canpanis Inliricis, Ponpejo, Enpedocles*), in inserenda p inter mn, ms, mt et in eiicienda i in compositis: abicit, obicit, inicit, deicit. — Lectio huius codicis non plane indoctum quidem, sed minus diligentem librarium prodit; in Sermonibus et Epistolis aliquanto rectior et emendatior quam in Lyricis. Sed ea tamen minus casta et pura quam in antiquioribus. Legitur enim v. c. cantatoribus pro cantoribus, deprehendi pro deprendi, amicia pro amicitia, summovisses pro summosses, expectabo pro exspecto, interrogat pro rogat, inquit pro quatit (I. Od. **16**, **5**). Voces haud raro omissae, interdum additae vel pravo ordine scriptae, saepius etiam correctae. Lectiones memorabiles nonnullas hic afferre liceat. III. Od. **7**, **22**. voces spernit. **14**, **8**. simplice vita. IV. **6**, **38**. noctilucam. Epod. **1**, **26**. nitantur mea. **2**, **5**. classico ut miles truci. **5**, **37**. Exsucta uti. **13**, **9**. et fide mercuriali. I. Sat. **2**, **50**. munifico esse decet. **4**, **25**. media erue turba. **26**. Aut ab avaritia II. Sat. **1**, **71**. in secreta remorat. **3**, **35**. sapientem crescere barbam. I. Epist. **16**, **49**. renuitque negatque Sabellus. A. poet. **9**. fictoribus. **220**. vilem cantavit ob hircum. **289**. non virtute.

**14) Dess. 3.** Codex **3**. bibliothecae Ducalis Dessaviensis membran. in 8vo min. sign. Nr. C. tegumentis alba membrana obductis, cujus lectionibus Obbarius est usus (v. Praef. Epist. p. IX.). **55** foliis constat, quorum primum mutilum est, reliqua integra, margine satis amplo, in quo passim scholia quaedam vel argumenta eclogarum vel singulas sententias illustrantia adscripta, etiam glossae inter lineas passim, non ita frequentes. Membrana plerumque alba et satis tenuis. Indicia vel patriae vel aetatis vel possessoris omnino desunt. — Hic codex una eademque manu ab initio usque ad finem scriptus Artem poet. Satiras et Epistolas modo continet, nec eas integras. Praemittitur Ars poet. cujus initium mutilum. Sequuntur Sermones, uno libro juncti sub titulo: *Incipit liber Sermonum oratii*; deficiente parte satirae **4**. libri I. v. **43** — **96** (folio uno inter f. **17** — **18**), tum majore parte libri II. a Sat. **3**, **181** — **8**, **33**. Eas excipiunt Epistolae uno libro junctae sub tit. *Incipit liber Epistolarum*, sed ipsae mutilae, deficientibus locis Ep. I. **2**, **39** — ep. **12**, **15** et Ep. II. **1**, **172** — ep. **2**,**8**. Paginae omnes simplices habent versuum columnas. Versus in singulis paginis **27**, secundum stigmatum numerum ad marginem foliorum, scripti sunt inter lineas stilo ductas et impressas, clausas utrimque binis lineis perpendicularibus, litteris tamen initialibus proxime cum textu connexis, per quas omnes in singulis paginis linea rubra descendit. Atramentum paene fuscum, ut in vetustis msctis. Litterae eclogarum initiales omnes minio pictae. Tituli pauci, a posteriore manu minio scripti in Sat. **I. 1. 2. 3. 4.** et **9.** praepositi; in reliquis et Satiris et Epistolis plerisque desunt. — Scriptura hujus cod. brevior et pinguior,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

etsi non ornata, plana tamen et explicita, formam illius aevi quadratam et angulosam minus prae se fert, sed manum levem atque exercitatam prodit, litteris paullulum inclinatis et ad nostram consuetudinem magis accedentibus. Tota ejus facies et indoles, litterarum cum majorum tum minorum figura, sigla et compendia scribendi et cetera indicia in saeculi XII. altera parte hunc librum scriptum esse declarant. Illius aetatis usum prodit accentus litterae ι duplicatae passim infixus (*viciis*), multo tamen rarius quam in Dess. **2.** nec unquam in ι simplici: tum e simplex pro ae, oe fere ubique, æ siglum rarius (II Epist. **2**, **12.** ære). ∂ et d promiscue usurpatae; r ubique, non ꝛ, quod saec. XIII in usu fuit, ſ longum ubique, etiam in fine vocum, ubi tamen saepius s supra lineam elatum (re$^{s}$, lege$^{s}$, isti$^{s}$) more saec. XI. et XII. frequenti. Inter sigla 7 (non &) pro et, ÷ pro est, ff pro enim, antiquo usu; **9** pro con, sub finem illius saeculi. — Interpunctio simplicior, in medio versu rara. punctum majus; tum pro colo et commate punctum minus (·) signum interrogandi (?). Singulari modo in fine versuum plerumque signum minoris distinctionis (?) positum ut in Dresd. **1.** (nr. **17**). — Orthographia vocum plerumque cum probato veterum codd. usu convenit, velut milia, sucus, belua, bachus, percontor, umquam, numquam, quicquid, quicquam, di, dis, Terenti, Acci, Bais, obicis, inicio, deicio, isdem, haut, Lucili, exul, expecto, expes, sumptus, tempno, dampnum cett. sed etiam michi, nichil, archana, Jupiter. Accus. III. decl. in es semper. — Lectio hujus codicis maximam partem recta et pura, librarium satis doctum et diligentem prodit. Vocabula passim omissa, vel alieno loco posita vel depravata, sed rarius. Omnino hic codex e bono et vetusto exemplari videtur esse descriptus, ut in praestantioribus habendus sit. Memorabiles aliquot lectiones notavimus. I. Sat. **1**, **40.** dum non sit te dicior. **55.** de magno flumine. **60.** amittet in undis. **76.** Invigilare. **10**, **91.** discipularum — catervas. II Sat. **8**, **39.** Invertunt aliis vasis. I. Epist. **1**, **19.** rebus supponere conor. II. Epist. **2**, **63.** Quid dem quandoquidem renuis.

**15) Dorv. 1.** Codex msc. D'Orvillii vetustissimus, saeculi X. scholiis ad marginem instructus, cujus lectiones ad editionem c. not. varior. Lugd. Bat. **1663** (Schrevelii) collatas suppeditavit nobis Sylloge Burmanniana biblioth. Regiae Berolinensis (v. Praefationem nostram ad Hor. Sat. Vol. I. p. C.) Hic liber Horatii opera omnia videtur esse complexus, praeter Epod **1.** — **15**, quorum lectiones apud Burm. certe desunt. Ceterum hac de collatione idem putamus statuendum esse, quod de collatione codicis Corbej. (supra nr. **11.**). E lectionis varietate haec notavimus: I. Od. **11**, **7.** diffugit invida. **12**, **15.** et terram. **18**, **15.** Extollens. III. **4**, **38.** reddidit oppidis. IV, **4**, **36**, Indecorant. II Sat. **4**, **39.** conviva reponit. **5**, **24.** non si vafer I. Epist. **7**, **51.** proprios resecantem. II. Epist. **2**, **154.** rationibus isdem. A. poet. **264.** Sed data.

**16) Dorv. 2.** Alter cod. msc. D'Orvillii, nitide scriptus, saeculi XIII. cum eadem edit. collatus, cujus lectiones ad omnia Hor. opera pertinentes praeter Epod. **1** — **15** eadem sylloge Burm. nobis exhibuit. Utriusque libri vir doctissimus mentionem facit in notis ad Charit. III, **7.** IV, **3.**, primi illius ad I, **1.** VII, **3.** E lectionibus hujus codicis hasce notavimus: I. Od. **3**, **36.** Perrupitque. **12**, **31.** dii sic voluere. **14**, **9.** nec di. **18**, **15.** Extollens. II. **4**, **7.** medio triumpho. III. **4**, **38.** addidit oppidis. Epod. **17**, **64.** suppetas cruciatibus. II. Epist. **1**, **181.** reducet. **226.** eo fore venturum. **2**, **211.** fis, ante cedente senecta. A. poet. 8. Pinguntur species. **12.** Non tamen ut. **20.** enatet. **238.** Pythias eunucho. **268.** laudes merui. **282.** in vim. **289.** clarisque.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

17) **Drd. 1.** Codex 1. bibliothecae Regiae Dresdensis membranaceus, in 8vo maj. corio badio tectus et eleganter ligatus, sign. D. 137. Folia 1. et 2. praefixa indices habent eclogarum a recentiore manu male scriptos. In pagina aversa haec leguntur: *Ex bibliotheca Reverendiss. Amed. Canonici Bononiensis Henr. Jonath. Clodig Bibl. Regiae et Electorali Praefectus comparavit* 1755. Hic liber 84 foliis constans, sed lacunis a fol. 41 — 60 et 79 — 82 a recentiore manu suppletis opera Horatii omnia continet hoc ordine: Odarum lib. I — IV. Epodon lib. Carmen saec. Ars poetica. Sequuntur Epistolae fol. 41 — 60 a recentiore manu scriptae. Tum Sat. I, 1. (fol. 61 averso) — II Sat. 4, 25. Lacuna inde usque ad II. Sat. 7, 71 eadem recent. manu suppleta. Reliqua a Sat. II, 7, 72 — Sat. 8 extr. in folio 84. Membrana hujus codicis propter vetustatem et usum fusca et sordida. Scriptura minuta, sed satis elegans, accurata et aequalis, litterarum ductu anguloso et ipsa litterarum forma et compendiis siglisque saeculum XII. prodit, cui codex attribuitur. Lineae transversae per omnes paginas stilo ductae, utrimque binis lineis perpendicularibus terminatae, versus in singulis paginis 46 includunt, columnis versuum fere simplicibus, rarius in paginis aliquot Epodon duplicibus. Atramentum e nigro fuscum. Litterae initiales versuum omnes nigrae, sed eclogarum rubro, viridi, coeruleo colore pictae. Glossa inter lineas satis frequens et scholia haud pauca ad marginem adscripta, partim eandem quam textus, aetatem ac fere eandem manum prae se ferunt, partim recentiora varias et manus et aetates produnt. Tituli singulis libris et eclogis plerisque, non omnibus, a recentiore manu litteris uncialibus, pallido atramento, et in supplementis praescripti. Litterarum initialium columnae a textu aliquantum distantes simplicem uncialium illius aetatis ductum habent. Litterae minores quadratae et angulosae. r et f infra lineam nusquam descendunt. ∂ rotundum plerumque, d rarius. r et ꝛ promiscue. ſ longum et in fine vocum, saepius tamen s in fine et s superscriptum (sis). u littera ubique, non v. s finale passim productum (∽) et m, hoc modo )—(. Litterae majores passim verbis immiscentur, qui mos ad saec. XII. usque in mss. reperitur (∂EORVM, ui∂ERI). Duplex ι plerumque accentu notatum (abíí, alíí, uicíís, propríís) simplex ι rarius. ae et oe ubique per e, rarius ę, & fere nusquam. Numeri passim signis notati, IIII. pro quatuor. — Compendia scribendi eadem fere, quae in aliis mss. ejus saeculi. & pro et. ē, ÷ pro est, et in scholiis. ɔ pro con, siglo 9 vetustius. — Interpunctionis signa punctum majus et minus; semicolon (;⁏) frequens, praecipue post singulos versus, distinguendi caussa, ut in Dess. 3 (nr. 14). Signum interrog. vulgare (⁏) — Orthographia vocum saeculi XII. exeuntis est. Accusativi tert. declinationis in es semper, in is fere nunquam terminantur. u post v, non o (vultis, Vulcanus, vulnus). Jupiter plerumque, Juppiter raro. quicquid, quicquam, umquam, numquam, cumque, tantundem, milia, nummus, succus, carta, urget, ungit, percunctor (raro percontor), jucundus (jocundus in Epodis), thura, sepulcrum (— chrum rarius), nequiquam, belua, totiens, litus, littora et litora, Affri, Affrica, haud et haut, velut et velud, Appi, di, dis, et Appíí, Claudíí, díí. Litterae i et y temere confunduntur: hyemps, tybia, Tyberis, Ylion, yambus, egyda, pelyon, hyrcus, ciclops, sisiphus, lide, lyde, licus, lycus. Littera h temere addita vel omissa, praecipue in nom. propr: protheus semper, nothus pro notus, hora pro ora, horchus pro orcus, honus, holus, habunde, archa, archana, cohercet, michi, nichil (semper), contra actenus pro hactenus. j littera ante i plerumque ejecta, obiciebat, iniciat, deicere, proicere. contra p inter mn, ms, mt plerumque insertum : tempno, dampnum, hyemps, emptor, sumptus. Littera m ante b, p, m, n, in n mutatur: menbra, menbrana, rhonbus, lonbos (pro lumbos) inpar, inperium, inpetus, inportunus, inpello, inpudens, sin-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

plex, conpesco, conpono, conparo, conpos, conmoda, conmotus, inmiscere, sonnus, colunnae, autunnus, annis (pro amnis), alunnus et alumpnus (pro alumnus). Haec quidem constantissime, ut in nullo fere codice, sed syllabae con et in ante l et r coalescunt: illatus, collatus, illapsus, illaqueatus, illidere, illinere, collocat, corrigo, irriguus, cett. Accusativi nominum Graecorum in m plerumque terminantur: Lidem, Tanaim. — Haec orthographiae ratio omnino praeter saeculi illius usum etiam pronunciationem Italicam vocum Latinarum prodit, ut vel ex his: michi, nichil, orchus, sonnus, colunnae, autonnus, lonbos, archa, archanum, codicem in Italia esse scriptum, recte colligi possit. Plurima scripturae vitia, praecipue in nominibus propriis, et in hoc et in aliis codicibus inde exorta esse videntur, quod librarii indocti et imperiti plerumque verba non ex scripto exemplari descripserunt, sed viva voce dictata calamo exceperunt. — Ceterum lectio hujus codicis librarium cautum et diligentem prodit. Non enim multa vitia nec graviora insunt, praeter frequentes vocum transpositiones, quibus metrum saepe evertitur. Memorabiles tamen lectiones haud paucae insunt, e quibus has notamus: I. Od. **4**, **3**. aut arator igne. **7**, **32**. Cras ingens intrabimus aequor. **13**, **2**. roseam et cerea. **17**, **19**. disces laborantes. **18**, **15**. Extollens. **22**, **19**. mundi et nebulae. **26**, **5**. Quid mitridatem. **10**. prosint honores. II. Od. **3**, **11**. quo et obliquo. **4**, **7**. medio triumpho. **6**, **19**. fertilis Bacchο. **12**, **18**. certare loco. **21**. Non tu quae tenuit. **15**, **10**. excludet aestus. **20**, **1**. non tenui. **3**. in terra morabor. III, **2**, **22**. temptat iter via. **21**, **10**. negligit. IV, **5**, **31**. ad vina venit. **9**, **31**. silebo. **13**, **8**. pulchris incubat. Epod. **2**, **44**. sub adventu viri. **5**, **3**. aut quid omnium. **23**. rapta ab ore. **7**, **16**. mentesque percussae. **13**, **10**. levare duris. **14**, **14**. oppressam Ilion. I. Sat. **2**, **122**. cum jussa venire est. II. Sat. **2**, **123**. culpa potare (vel cuppa superscr.) Ars poet. **109**. aut propellit. **286**. nec nimium.

Supplementa hujus codicis, quae Epistolas praeter Artem poet. omnes et Satirarum libri II. exiguam partem complectuntur, in catalogo bibliothecae Dresd. a Falkensteinio, V. Cl. edito, ad Saec. XIV. referuntur. Cujus viri eruditissimi nec non ejus, qui ante ipsum bibliothecae Regiae praefuit, Eberti auctoritati etsi plurimum, ut par est, tribuo, pace tamen eorum dubitationem proferre liceat de tali vetustate apud nos exortam cum propter totam scripturae indolem ad recentioris aetatis consuetudinem accedentem, quae manum Italicam facilem et exercitatam prodit, litteris inclinatis per lineolas ductas inter se cohaerentibus, tum praecipue propter litteram i non accentu (quod a saeculo XII. extremo in usum venit) sed puncto ubique notatam, qui mos saeculo XV. demum prorsus invaluit, ut aetatem saeculo XIV paulo inferiorem his supplementis tribuerim. — Verum tamen librarium non exemplari typis expresso, sed codice msc. vetusto aliquo esse usum, singulares lectiones haud raro immixtae produnt, ut I. Ep. **10**, **13**. ponendaeque domus. **15**, **41**. nil vulva dulcius ampla. 18, **40**. volet ipse. 20, **18**. alba senectus. II. Ep. 2, **76**. meditare sonoros. **114**. intra penetralia. **120**. simillimus auro. Sed vitiis etiam innumeris haec supplementa laborant, et librarium produnt indoctum et indiligentem. — Lectio impura frequenter et corrupta, ut II. Sat. **6**, **14**. pingue peccatum domino. — Vocabula crebro omissa vel addita vel transposita. Scriptura non inter lineas transversas facta, quare versus in singulis paginis non pari numero, **34** — **36** in Epistolis, **40** — **44** in Sat. lib. II. Sed tamen versus binis lineis perpendicularibus stilo ductis includuntur. Scriptura habet sigla haud pauca etiam prioris aetatis, fortasse ex imitatione codicis unde manavit, ut ē vel ∻ est, ꝝ rum, ſ; sed, ⫽ enim, & et, in compositis quoque, ut par&, etc. Orthographia inaequalis: Ulyxes et Ulysses, Juppiter, Jupiter, milia, bais, phama phanum. —

18) **Drd. 2.** Codex 2. bibliothecae Regiae Dresdensis membranaceus in 4to min. saec. XV. sign. D. 138. 124 foliis constans, Hor. opera continet hoc ordine: Odarum libros IV. Epodon lib. Carmen saec. Artem poet. Serm. Lib. I, II. in quo finitur, omissis Epistolis. Scriptura in membrana tenui candidissimaque satis munda, aequalis et elegans, litteris initialibus eclogarum rubro vel coeruleo colore pictis, librorum etiam auratis, titulis roseo pigmento in singulis eclogis inscriptis. — Atramentum pallidum non nostrae aetatis. — Versus in singulis paginis 27, inter lineas coloratas pallide fuscas, duplici utrimque linea perpendiculari terminatas. De hujus codicis aetate dubitari nequit, nam in fine Epodon post carmen saec. triplici inscriptione litteris uncialibus, mediis et minimis legitur: *Epodon explicit MCCCCLXXX. die XX. mensis Januarii per me Bartolomeum Squaram filium domini Augustini Squara. Amen. Laus deo.* Sequitur Ars poet. Unum C in his singulis inscriptionibus deletum, scilicet, ut vetustior codex esse videretur, fraude manifesta. Codex simplici membrana tectus. In prima pagina legitur: *Polycarpus Bauer.* a. 1681. *d.* 10. *Julii.* Post Epodon lib. subscripsit *Kartovius a Sahrzen.* a. 1745. In bibliotheca Bruehliana olim fuit. Scholia glossaeque non insunt. Tituli in lyricis simplices, addita semper metri definitione, ut: *Ad puerum suum Dicolos tetrastrophos.* Sermones titulis carent. — Orthographia vocum nec emendata nec satis constans hunc librum ex saeculi XII. vel XIII. codice aliquo descriptum esse probabile facit. e pro ae, oe ubique. i vel purum, vel accentu notatum í, passim etiam puncto, i. i pro y fere semper. h temere additum vel omissum, (caribdis, archana, thure, hora pro ora, carta, corda, coturnus) s et ss promiscue (thesalus, pegassus, venussie) Cui initio versus saepe pro qui. Voces num, nunc, non, hoc, hec, nil, nihil saepe commutatae. Accusativi III. decl. in es plerumque, in Lyricis passim in is terminati. Accus. vocum Graecarum fere in m (Panthoidem, Pholoem, arctom) p inter mn, ms, mt semper insertum, (dampnum, sumpsit, emptus). Praeterea Juppiter, Bachus, quicquid, percunctor, vulnus, vulgus, quicunque, Affris, littus et litus, vicium, dii, diis, ingenii, Attii etc. Sigla illius aetatis, 9 pro con, 7 pro et, in compositis quoque (am7) ÷ pro est, rarius. Littera Z expressa per c (orice, gacis) vel x (bixantia) vel z (zonis). — Interpunctio rarissima: punctum, colon (:) semicolon (;) interrog. signum, comma nusquam. — Lectio in nitida scriptura vitiosissima, in Satiris et Arte poet. magis etiam quam in Lyricis. Voces frequenter omissae vel transpositae, saepius etiam depravatae: acertus pr. acervus, furmenti pro frumenti, quature fines viveni pro: naturae fines viventi. at suave est .. tollere. (deest: ex magno) Singula verba totique versus haud raro desunt, vel tacite, culpa librarii, vel spatiis ad supplendum relictis, propter exemplaris propositi obscuritatem. Nihil eo secius permultas habet bonas et singulares lectiones, easque cum textu ed. Flor. 1482 crebro (sed non semper) convenientes. I. Od. 1, 33. Euterpe prohibet. 4, 12. hedos. 16. fabulaeque inanes (al. manes adscr.) 5, 4. flavas-comas. 12, 3. recinat. 26, 5. quid mitridatem. 35, 2. Potens vel imo. II. Od. 12, 21. Non tu quae. 25. fragantia (Flor.) III. Od. 4, 38. addidit oppidis. 14, 10. o puellae. 24, 10. trahunt domus. IV. Od. 3, 16. torqueor invido (Flor.) 6, 38. noctilucam. 8, 4. neque turpissima (Flor.)[1]) 15, 14. flammaque et imperi (Flor.) Epod 1, 21. ut adsit consilii (Flor.) 2, 65. divitis examen. 4, 1. sortita obtigit. 5, 1.

1) Od. 12. Memorabilem hic codex inscriptionem offert: Ad Virgilium medicum, in nullo mscto, quantum quidem scimus, adhuc repertam, praeterquam in glossa codicis V. saec. XII. apud Vanderb. ubi notatum est: *Virgilium fuisse negotiatorem et medicum Neronum.* Qua de re v. Weberum disputantem in libro: Horaz als Mensch etc. p. 231. Not.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quisquis-regis. **57** irrideant-latent (Flor.) **9**, **8**. ustis navalibus (Flor.) **11**, **17**. allevantia (Flor.) **28**. renidentis (Flor.) **12**. **3**. nec vatis (Flor. nec naris) **13**, **18**. dulcibus eloquiis (Flor.) **16**, **1**. jam atteritur (Flor.) **33**. flavos timeant (fulvos Flor.) **17**, **68**. optat supremo (superno Flor.) I. Sat. **2**,**129**. ne pallida (ve p. Flor.) Ars poet. **129**. carmen formabis in actus. Tituli a Flor. omnino differunt.

19) **Drd. 3.** Codex **3**. bibliothecae Regiae Dresdensis chartaceus in Fol. maj. sign. D. **139**. saec. XV. exeuntis, firmiter ligatus, corio badio tectus scutulisque aeneis munitus, **142** foliis constans scripta Horatii omnia continet, hoc ordine: Odarum libros IV. Epodon lib. Carm. saec. Epist. L. I. II. Sermonum Lib. I. II. Postremo, foliis puris aliquot interpositis, Artem poet. Versus in singulis paginis **30**, scripti inter lineas stilo ductas, binis utrimque lineis perpendicularibus terminatas. Litterae eclogarum rubrae, versuum initiales minio notatae. Tituli litteris uncialibus in eclogis superscripti pigmento purpureo, quali hodie utimur, recentiorem manum produnt, eandem quae varias lectiones e quatuor libris mss. per totum hunc codicem eodem pigmento adscripsit, non puto Georgii Fabricii, cujus hic liber olim fuisse dicitur; non enim saeculi XVI, in quo ille vixit, sed saec. XVIII potius scripturam ostendunt. Ceterum nec scholiis nec glossis in ulla parte hic liber instructus. Insigne quoddam in omnibus hujus libri foliis conspicuum, quod in Naumanni catalogo librorum mss. bibl. Senat. Lips. Tab. IX. anno **1460** tributur, in altera saec. XV. parte hunc librum scriptum esse, certissime declarat. Praefixa est huic libro membrana edictum Joannis Sturmii ad studiosos continens, quo Joan. Sapidum odas Horatianas explicare velle indicat. — Scriptura hujus cod. pinguis est, rudi ductu, plana quidem, non elegans, pro saeculi illius more multis siglis et compendiis scribendi turpata. In litterarum majorum ductu mira varietas. In minoribus litteris i passim, sed rarius, puncto notatum, i (non í) ꝛ plerumque, et r. pro z interdum c (Clacomenis). Interpunctio fere nulla. Punctum minus (·) passim, sed rarius, non aliud. Verba parenthesi inclusa in uno hoc codice aliquot locis reperimus, nam parenthesis signum in antiquioribus libris nusquam apparet. Orthographia vocum librarium exemplari saec. XII. vel XIII. usum esse probat. Littera e pro ae, oe ubique (Mecenas) i pro y semper (Sisiphus, Lide, Lidia). Littera h temere addita vel omissa (holus, horchus, archana, mihi, nihil (non michi, nichil) thaurus, cathinus, thura, haure (pro aure) sed pulcer, pulcre, corda (chorda) corus (chorus) coturnus. s post x plerumque omissum (exul, extructus, expecto) p inter mn, ms, mt insertum (contempno, sompnus, ampnis, columpna, sumpsit, hiemps, temptat, sumptus). In compos. pro ii fere i (obiciebat, iniciat, deicere, proicere. Accusativi III. decl. frequenter in is, non tamen certa lege, nec constanter. quom pro cum saepe; vult, vulnus, vulgus semper. Praeterea: Jupiter, quicquid, quicquam, umquam, pelex, sucus, milia, urget, ungit, percontor, Ulixes, Affer, Affrica, dii, diïs, ingenïi cett. Lectio hujus codicis, etsi non ubique recta et emendata, versibus passim vel totis vel dimidiis omissis, verbis singulis vel omissis vel transpositis, rarius depravata, non tamen, pro illa praesertim aetate, spernenda, sed satis bona et proba, nonnulla propria offert, ut I. Od. **1**, **7**. turma Quiritium. **27**. Seu visa est oculis. **36**. Vertice sidera. **3**, **7**. Reddes incolumem. **26**. Perrupitque Acheronta. **4**, **8**. visit officinas. **9**, **1**. stat nive. **13**, **6**. Quanta parte (ut conjecit N. Heinsius.) **17**, **19**. Disces laborantes. **21**, **19**. totidem extollite. **30**, **7**. juventus. II. Od. **8**, **8**. cineres apertos. IV. Od. **2**, **23**. Aureos deducit. Epod. **3**, **11**. alligaturum juga **7**, **16**. mentesque percussae. I. Sat. **1**, **87**. Si nemo praestat. **4**, **11**. quod tollere pos-





Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ses. 139. Includo cartis. 5, 6. nimis est gravis. 49. pila est lippis. 8, 27. dividere morsibus agnam. II. Sat. 3, 1. Si raro scribes. 7, 60. Quo te peccati demisit. I. Epist. 1, 10. Nunc utique. 7, 64. Vulteium deinde Philippus. 16, 18. Laudamus jampridem. II. Ep. 1, 149. verti coepit jocus. 2, 114. intra penetralia. Art poet. 2. includere plumas. 139. Parturiunt montes. 304. Non tanti est.

20) **Drd. a. f. l. m.** Collatio Dresdensis a. f. l. m. quam sub uno numero complectimur Ad marginem codicis Dresd. 3. nr 19. modo descripti quatuor librorum msctorum variae lectiones pigmento purpureo a manu recentiore, saeculi XVIII. ut puto, satis plane et dilucide adscriptae sunt. Notantur litteris A, a: F, f: L, l: M, m: modo majore, modo minore littera promiscue, sed utraque eundem codicem indicante. Unde hi codices, qua aetate, qua forma et habitu, non memoratur.

**Drd. a.** Collatio Dresd. a. Codicis a. lectiones ceteris frequentiores ad omnia Hor. scripta pertinent. Odarum tituli quoque in Dresd. 3. ex hoc codice a. desumti, probabiliter etiam tituli in Sermonibus et Epistolis inscripti. Codex a. quamquam non ita vetustus esse videtur (nam legitur in eo Ulissei. I. Od. 6. et al.) bonas tamen et proprias lectiones haud paucas affert, e quibus notamus: I. Od. 12, 50. Caesaris fato data. II, 8, 24. cura maritos. 17, 13. Nec me Chimerae. 18, 3. Nec trabes. III, 27, 17. trepidat tumultu. Epod. 1, 26. Aratra nectantur meis. 5, 3. aut quid omnium. 16, 60. Ulyssei. Carm. saec. 27. Terminus servat. I. Sat. 10, 21. causas exsudat. 68. fato delatus. II. Sat. 3, 157. pereamve rapinis. 5, 11. aliquid privum. I. Ep. 2, 65. pellem laceravit. 3, 29. Si patriae cupimus. 7, 89. Promittens persuadet. II. Ep. 1, 1. tanta pericula solus. 2. armis tuearis. 38. excludet jurgia.

**Drd. f.** Collatio Dresd. f. Codex f. modo quatuor Odarum libros complexus esse videtur; nam in reliquis non memoratur. Recentiorem fuisse puto, propter lectiones Ulissei c. I, 6. et obiicere incolis. III. Od. 10, 3. nec magni habendum, propter vi- tiosas multas lectiones. Nonnulla tamen propria habet, e quibus memoramus: I. Od. 7, 32. intrabimus aequor. 8, 10. lurida gestat. 9, 7. Depone quadrimum. 26, 5. Quid mitridatem. 6. o quae frontibus. 32, 2. hunc per annum. 14. et laborum. 37, 4. tempus erit. II, 10, 24. Prospera vela. 15, 2. Moles relinquunt. III, 5, 46. Firmasset actor non alias dato. 18, 12. Cum bove pardus. 30, 10. perstrepit aufidus.

**Drd. l.** Collatio Dresd. l. Codex l. modo Sermonum et Epistolarum libros, excepta Arte poetica, exhibuisse videtur. Ex ejus lectionibus hasce memoramus. I. Sat. 8, 7. novisque vetat. 19. quae vexant. 9, 29. letum mihi triste. II. Sat. 1, 6. peream modo, si non. 2, 118. Ast mihi post longum tempus. 128. O pueri vixistis. 3, 204. violavit Atridem. 4, 24. Alfidius. 25. committere nervis. 27. Perlueris melius 79. frusta ligurit. II. Ep. 2, 103. populi suffragia posco.

**Drd. m.** Collatio Dresd. m. Codex m. quatuor Odarum libros cum Epodis et Artem poet. continet. Ex ejus lectionibus has notavimus: I. Od. 17, 9. hoedilia. 18, 15. Extollens. 27, 13. Cessat voluptas. 28, 19. senum et juvenum. 32, 6. Qui ferus bello. II. Od. 13, 1. nefasta te. 18, 25. Limitem clientium. IV. Od. 1, 2. Rursum bella. Epod. 1, 6. sic contra. 5, 79. inferius mare. 6, 13. fretus infido. Ars poet. 240. cantavit ob hircum. 272. nec dicam.

21) **Drd. 4.** Codex 4. bibliothecae Regiae Dresdensis chartaceus in 4to sign. D. 140. inter lignea tegumenta satis sordide habitus, continet Artem poet. Sermonum libros II, Epistolarum libros II. fol. 1 — 80. Hic liber saeculo XV. in Catalogo bibl. Regiae tribuitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sed saec. XVI. demum scriptum esse inde colligo, quod post opera Horatii in postrema voluminis parte fol. 81 — 106. liber eadem manu scriptus exstat: *Petri Pauli Vergeri Viri Clarissimi ad Ubertinum Carariensem Liber de moribus*, qui illo certe saeculo confectus est. Nam Pet. Paulus Vergerus, Episcopus Capensis Istriae, legatus Papae in Imperii comitiis Vormatiensibus a. 1541 affuit, post ad Lutherum missus in ejus partes transiit et a. 1565 Tubingae mortuus est. Post Vergeri librum de moribus additum est *Virgilii Moretum*, fol. 106 — 108. Textus operum Horatii purus, sine scholiis et glossis, non belle quidem, sed plane et explicate, vulgari atramento pallidiore scriptus eodemque atramento lineae ductae 26 — 30 in singulis paginis, nullo usquam stigmate. Tituli et litterae eclogarum initiales minio pictae, litterae versuum initiales minio notatae. Librum in Italia esse scriptum, ipsa orthographiae ratio declarat, ut nichil, michi, com (cum), mondo (mundo). Modus scribendi recentior, ut: millia, Jupiter, cett. Nulla distinctio nisi per punctum, eaque rarior. — Lectio, ut in recentioribus plerisque, valde manca et vitiosa. Verba passim omissa vel transposita, saepe depravata. Versus etiam rarius omissi vel transpositi. Textus tamen e bono exemplari mscto ductus esse videtur, nonnullasque lectiones habet proprias, e quibus has memoramus: I. Sat. 1, 48. Forte feras humero. 81. lecto te affigit. 97. melius servo. 3, 81. liquidumque ligurrierit. 8, 19. quae vexant. II. Sat. 1, 20. Cui male si palpare. 21. Quanto est rectius. 5, 3. iamne dolose. I. Epist. 3, 7. scribere sumpsit. 12, 21. seu porcum et cepe. 16, 17. Tu recte vives. II. Ep. 1, 33. ac luctamur. Ars poet. 7. aegri insomnia. 135. Unde pudor proferre pedem. 185. nec pueros. 340. abstrahat alvo.

22) **Drd. 5.** Codex 5. bibliothecae Regiae Dresdensis chartaceus in fol. sign. D. 141. Saeculi XV. exeuntis est; nam annus 1489 indicatur in pag. 21. extr. et 22. extr. Horatii Artem poet. fol. 1 — 13. exhibet, rudioribus et crassioribus litteris scriptam, scholiis et glossis obscuro et corrupto illius aetatis charactere scriptis instructam. Sequitur *Petronii poetae Satira* usque ad fol. 21. denique *Carmen Novem Musarum* fol. 21. 22. satis miserum. Horatianis subscripta haec: *Quinti Oracii Flacci liber ad Pisones finit foeliciter decimo Kalendas Novembres.* Non magni aestimandus codex. Scriptura rudis, immunda, propter multa sigla et compendia litterarum lectu difficilis et taediosa, prava omnino et corrupta librarium negligentem, indoctum et imperitum prodit. Verba passim omissa, transposita vel depravata. Orthographiae ratio misera. Litt. f. pro v. frequentissime, ut librum in Saxonia scriptum putes: fagus, fetet, fite, fetus pro vagus, vitae, vetet, vetus. orbes pro urbes, herostes pro Orestes. Lectio nihil fere novi affert. Pauca notavimus: Ars poet. 10. Quodlibet audendi. 116. aut matrona p. aut sedula. 280. Edocuit magnumque. 378. Si paulum summo discessit. 414. poemata canto. 415. Occupat extremum.

23) **Gth. I.** Codex 1. bibliothecae Ducalis Gothanae Saec. XV. membranaceus in 8. maj. sign. II. Nr. 101. (descriptus in libro: Beiträge zur ältern Litteratur von Jacobs und Ukert. Leipz. 1835. Vol. I. Fasc. II. pag. 234 nr. 64). 89 foliis constat, quorum unum in III. Od. 24. praepostere ligatum. Continet Odarum libros IV. Epodon lib. et Carm. saec. Liber in membrana tenui et candida nitide eleganterque scriptus. Prima pagina limbo picto ornata titulum habet litteris capitalibus inauratis hunc: *Quinti Horatii Flacci Venusini odarum Liber primus ad Maecenatem equitem Romanum foeliciter incipit.* Litterae singulorum librorum initiales picta coloribus sigilla referunt, ductu litterarum inaurato; litterae eclogarum initiales minio pictae. Tituli singulorum carminum et librorum quoque colore caeruleo picti a scriptura codicis omnino differunt,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

litteris Gothico charactere scriptis, cum ipse textus manum facilem Italicam prae se ferat. In ultima pagina fol. 89. eodem caeruleo pigmento haec subscripta leguntur: *Quinti Horatii Flacci Venusini Odarum liber foeliciter explicit VII. Cal. Octobres Mo. CCCCo LXVIII. Rap. Tras.* — *Τέλῶς καλῶ'ς εχὴ* (sic). In ultima pagina aversa nomen recentiore tempore scriptum legitur: *Tarquinius Cascina;* et in praecedentis folii pagina adversa eadem Cascinae manu inter alia: *Al' molto magnifico signor mio phc. oss.* Paginae omnes simplices versuum columnas habent, non duplices; versuum numerus in singulis fere 22. Notulae passim inter lineas et ad margines adscriptae eadem manu. — Interpunctio rarius usurpata per punctum majus et minus, colon, interrogandi signum (;) semicolon vel comma, in hunc modum: Quassas' indocilis. Sigla et compendia scribendi pauca et usitata. Litt. e vel ę pro ae, oe ubique, i vel purum ı, vel puncto notatum i; íí plerumque accentus habent. & pro et frequenter. — Orthographia vocum vulgaris illius aetatis; modo notamus, in hoc codice Maecenas semper scribi, et heu pro eheu. — Lectio ipsa pro illa aetate satis bona et recta, haud pauca habet propria cognituque digna; eaque ex copiis nostris paulo diligentius excerpta lectoribus hic tradimus, quod Braunhardus, V. D. qui in Praefat. ad Hor. opera Lips. 1833. sect. I. p. VI. hunc librum primum se contulisse gloriatur, non justam in conferendo curam ei tribuit, sive in opere perficiendo nimis festinans, sive tali negotio minus assuetus. Quare in lectionibus hujus codicis notabilioribus referendis non quas ille omisit, sed quas in notis vere attulit, asterisco notare satius duximus. I. Od. 3, 36. Prorupit Acheronta. 6, 15. Nigrum memnonem (c. Flor. 482.) 7, 14 mollibus.* 32. iterabitur.* 11, 1. quem tibi, quem mihi. 6. sapies.* 12, 14. qui rex.* 15. Qui mare aut terram. 15, 32. Non haec pollicitus. 16, 2. Quem lachrymosis.* 6. mentes sacerdotum. 17, 19. Disces laborantes. 21, 4. Dilectam penitus Jove. 28, 9. Minos admotus.* 36, 19. Divellatur adultero. 38, 8. bibentem Vite sub arcta. II. Od. 12, 18. certare loco.* 13, 11. te casurum. 33. Quid mirum si illis. 16, 30. minuit senecta. 17, 16. Justitiae est placitumque. 18, 8. honesticlientes. 19, 17. et mare. III, 2, 25. cuncta silentio. 31. ante scelestum cedentem (non recte citat Braunh.) 3, 10. Enixus arces (Braunh. perp. enisus). 19. incestusque vindex. 4. 17. ab aphris. 36. inviolatus agmen.* 5, 51. obstantes amicos. 6, 5. qui geris. 7, 3. Tyria merce. 8, 15. Profer in lucem. 23. lapso meditantur. 11, 6. Divum tu mensis (Braunh. modo. Divum) 19, 10. nocti mediae da p. auguri. 20, 10. dentes acuit superbos.* 24, 8. mortis lachrymis. 26, 9. diva regis Cyprum. 27, 66. aderant querenti. 29, 52. aliis benigna. IV. Od. 1, 2. bella movens. 2, 26. in altum-tractum. 46. Vocis accedat. 5, 5. lux bona patriae. 7. Effulsit populo. 13. omnibus heu et pr. 9, 24. puerisque primi. 11, 11. flammae crepitant (sic conjec. Bentl.) 14, 5. lux habitabiles. 16. Auspiciis reppulit. Epod. 1, 29. Nec ut supremi. 5, 65. munus infectum. 12, 2. quid mihi quidve. 11. jamque vibrando. 17, 40. voles sonare. Carm. saec. 55. responsa ferunt.

27) **Gth. 2, a.** Codex 2. bibliothecae Ducalis Gothanae, saec. XV. chartaceus in 4to, sign. Ch. B. nr. 61. (descriptus in libro Jacobsii et Ukerti supra laudato p. 235. nr. 65.) Satis crassus liber, forma quadrata, corio rubro tectus, cujus partem vix dimidiam Horatii opera a fol. 28. ad 206. occupant (nam praecedentes paginae purae sunt). Alteram ejus partem varii libri recentiores partim prosa oratione partim versibus scripti obtinent, de quibus Jac. et Uk. l. c. p. 236 — 38 plenius egerunt. Horatii opera in hoc codice duabus partibus constant, quarum prior, a fol. 28 — 142. Sermones et Epistolas continet, omissa Arte poet. In singulis paginis versus 16 inter lineas atramento ductas, inclusas lineis perpendicularibus, una interi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ore, binis exterioribus ad marginem versus. Scriptura Germanica satis pura, plana et accurata, atramento vulgari. Titulus huic volumini communis in fronte fol. **28.** minio pictus: „*Q. Oratii Flacci Liber Sermonum incipit.* Litterae eclogarum initiales minio pictae, versuum initiales omnes lineola minio ducta notatae. Tituli eclogarum omnino desunt, praeterquam in Epist. **I, 8. 9. 10.** ubi a **2.** m. adscripti. Scholiis et glossis liber fere omnino caret (modo in Sat. I, **1, 68.** fol. **30**: Tantalus a labris, vox Germanica: „*haspelzug*" superscripta, cum schol. ad marg.). Lectio passim a **2.** m. mutata. Versus numerantur **2504.** a Sat. I, **1.** immixtis Epistolis temere confusis usque ad finem Sat. I, **10.** fol. **106**, b. Hi numeri in margine adscripti decimo cuique versui eadem antiqua manu, quae codicem scripsit. Sequitur titulus a **2.** m. scriptus: *Q. Horatii Flacci Sermonum liber primus explicit. Incipit 2dus foeliciter. velut in dialogum Trebanio loquitur.* Denuo versus **1 — 1100** numerantur a II. Sat. **1**, immixtis temere Epistolis usque ad finem codicis fol. **142.** — Descriptus est liber ex antiquo mscto vel lacero vel confuse ligato. Ordo hic est: A. fol. 28 — **55.** Sat. I, **1 — 9** v. **29.** Tum nulla disctinctione sequitur II. Sat. **3, 129 — 6, 94.** ad fol. **71**, a. ubi sequitur I. Epist. **16, 67** — II. Ep. **1, 229.** ad fol. **86**, b. Tum a fol. **87 — 102**, b. I. Epist. **5, 27 — 16,66.** A. fol. **102**, b. — **117**, b. Sat. I, **9, 30** — II. Sat. **3, 129.** A. fol. **117**, b. — **133.** II. Sat. **6, 94** — I. Epist. **5, 26.** A. fol. **133 — 136**, b. II. Ep. **2, 21 — 82.** A. fol. **136**, b. — **138**, b. II. Ep. **1, 130 — 2, 20.** A. fol. **138**, b. — **142.** Ep. II, **2, 83.** usque ad finem.

Hunc codicem scriptum esse in altera Saec. XV. parte, ipsum chartae signum per omnia folia conspicuum, caput taurinum, quod stellam septem radiorum fert, anni **1466** apud Naumannum in Catalogo msttorum bibl. Sen. Lips., prodit et declarat. Sed eundem ex antiquissimo et praestantissimo exemplari originem ducere, cum ipsa lectio cum optimis et vetustissimis quibusque libris plerumque, vel in orthographia vocum, consentiens, tum praecipue praeclara illa lectio demonstrat, Sat. I, 6, 126. Ammonuit fugio campum lusumque trigonem: quam hic codex integram, sine rasura et sine punctis suppositis (ut in Bland. **1.**) exhibet (modo in voce lusumque altera litterae u lineola paulo altius producta, quod etiam alibi in hoc libro factum, ut in v. inluta II. S. **4, 84**). Sic singularis haec lectio vetustissima, a viris doctis cupide arrepta (v. Bentl.), ex quo Cruquius e codice Blandinio **1.** omnium antiquissimo eam vulgavit, sed post hujus interitum pro deperdita ab omnibus habita, in hoc libro etsi recentiore, nobis servata est, quem tamen, cum in ceteris lectionibus cum Cruquiano illo non omnino congruat, ex alio quodam vetustissimo libro adhuc ignoto descriptum esse putamus. — Sigla et compendia scripturae vulgaria illius aetatis sunt: ae nusquam, pro eo e plerumque, ę rarius: oe raro, plerumque e. Litt. i accentu saepe, puncto nusquam notata. p9 post, 9 con, ꝛ et, n̄ nietnisi, al. Scriptura vocum vetustiorem consuetudinem fere sequitur: Juppiter (rarissime Jupiter) milia, belua, sucus, sollemnis, percontari, urguere, unguere, quidquam, quidquid (quidquit) umquam, Bais, iniciat, obiciet, tura cett. i et y rarius commutatae, sed híí, híís pro hi, his, recentiore usu, rarius h temere omissum vel additum: erus, ortus, cyatus, carta, sed hedera, holus, cohercet, michi, nichil. c pro t, d pro t, frequenter: Lacium, nequicia, condicio, ambicio, velud, capud. p inter m et t plerumque insertum (temptatus, sumptus, emptor) sed temnens contemni, damnum. Accusativi III. decl. in is non rari: finis, omnis, redeuntis. — Lectio plerumque pura, recta et emendata, vitiosa passim, ubi vetusti exemplaris verba librarius legere nequiit, ut II. Sat. **2, 47.** accipiens ere pro acipensere; **50.** historius pro praetorius. Inde etiam litterae et syllabae haud raro distractae et falso inter se junctae, ut II. Sat. **1, 7.** neque odor miret er uncti pro: nequeo dormire. ter uncti. **7, 88.** manu caruit pro manca ruit. I. Ep. **18, 42.** Zethidis siluit, pro Zethi dissiluit. E

lectionibus has afferimus: I. Sat. 1, 76. Invigilare. 2, 19. facit hoc vix cr. p. 3, 28. prorsus et illi. 4, 24. minimum juvat. 84. qui non jussa. 5, 70. Prorsus jucundum. 8, 16. inspectabant. 10. 71. Saepe caput foderet. II. Sat. 1, 65. introrsus turpis. 2, 28. color idem. 3, 1. Si raro scribes. 22. Quid scalptum. 129. servosve tuo quos. 4, 4. cum sic te tempore. 7, 57. Alternante libidinibus. 114. fallere noctem. I. Epist. 6. 59. transferre forum. II. Ep. 1, 29. pensentur. 2, 32. ornatur opimis. 44. ut vellem curvo.

**Gth. 2, b.** Ejusdem codicis altera pars, a fol. 147 — 206. Carminum quatuor libros continet sub titulo: *Mecenatem alloquitur Horatius in odis seu carminibus.* Tum Epodon lib. sub tit. *Carminum liber Vtus.* Haec altera pars non minus insignis cognituque digna quam prima illa. Nam post Epodos legitur memorabilis illa subscriptio, quam in codd. suis Leidensi et Reginensi aliisque (num ipsius? dubito) Bentlejus invenit (v. ejus Praefationem), in codd. Paris Vanderbourg nr. E. saec. X. (Menteliano, nr. 3. ap. Pottier) et nr. R. saec. XIII. (nr. 16. ap. Pottier): *Q. Horatii Flacci Epodon explicit. Vettius Agorius Basilius Mavortius v. c. et inl. ex com dom ex cons. ord'.* (i. e. vir clarissimus et inlustris, ex comite domestico, ex consule ordinario) *legi et ut potui emendavi conferente mihi magistro Felice oratore urbis Rome.* Tum sequitur altera inscriptio ante Carmen saeculare aeque notabilis, nec ab ullo, quod sciam, adhuc prodita, quae in cod. Mentel. quoque (v. inf. nr. 41.) sed minus plena, exstat: *Incipit carmen seculare quod patri meo et matri meae cantaveram ad chorum puerorum puellarumque ad Apollinem et Dianam proseutice tetracolos.* Haec ipsa a Vettio Agorio puto fuisse addita, unde si non alia Horatii carmina, at saltem carmen saeculare illa aetate etiam decantari solitum, si non illis, quibus olim compositum esset, at suis certe ac propriis modis colligitur.[2]) Scriptura hujus codicis et tota

---

2) Habemus igitur in codicibus quinque supra dictis (nam de aliis non constat) carminum Horatianorum (Odarum dico et Epodon duntaxat, non Sermonum Epistolarumque, quod subscriptio in cunctis illis codd. Epodon libro subjecta est) recensionem a Vettio Agorio Basilio Mavortio, qui consul Romanus fuit sine collega a. p. Chr. n. 527 (v. P. Relandi Fasti consulares p. 694 — 96) Felicis Magistri ope factam et per plura deinde, haud multa tamen, exemplaria a librariis post descripta propagatam. Quam tamen non ita magni fuisse habendam, cum res ita institueretur, ut bonus ille Mavortius textum recitaret, Felix magister suum exemplum inspiceret et lectionum diversitatem indicaret, (quod dicebatur legere et conferre) tum ambo lectionem constituerent, quae vera ipsis videretur, recte judicavit Peerlkampius in Praef. ad Horat. Carmina p. XXII. hoc quoque addens, nec nunc constare, quantum Mavortio deberemus (cum praesertim unius recensionis in illis codicibus inter se haudquaquam ex omni parte conspirantibus vestigium nullum appareat. K.) nec si aetatem Mavortii respiceremus (jam barbaram et ab Horatianae lectionis origine longe remotam. K.) a tali recensione quicquam praestabile exspectari potuisse. Hiscum consentit magnus G. Hermannus in Comm. de primo carmine Horatii, Lips. 1842. huic Vettii Agorii operae non multum tribuens, ut qui locos dudum interpolatos, velut III. Od. 11, 16 — 20, in textu intactos reliquisset. De ipso Vettio Agorio Mavortio nil aliunde traditum habemus. Nam poema illud de judicio Paridis in Anthol. Burmanni T. 1. p. 103 sub Mavortii nomine e centonibus Virgilianis ab illo consule compositum esse non magis probari potest, quam inscriptionem apud Valesium ad Ammianum Marcell. 14, 8. ad ipsum pertinere. Nam et Mavortii nomen alibi reperitur, ut apud Ammianum L. 16. p. 72. Lind. sub Constantio Imp. *Mavortius, praefectus praetorio, vir sublimis constantiae*, memoratur. Verum in hoc Peerlkampio non assentior, quod Vettium Agorium Constantinopoli vixisse ibique Horatium emendasse putat. Romae enim, non in Oriente, consul sine collega fuit, quod testatur Chron. Alex. ap. Relandum: *Μαβορτίου Ῥωμαίου μόνου.* quare Dufresnoy in tabulis chronol. recte Consulem sine collega in Occidente dicit. — De Felice Magistro, Oratore urbis Romae, non facilior quaestio est. Certe enim Flavium Felicem illum, qui consul fuit Romae a. 511, non posse intelligi, Peerlkampius bene censuit. Eum enim, ut dignitate ipso priorem, Virum Illustrem, Comitem ac Patricium, Vettius Agorius cum titulos suos referret, simplici Oratoris nomine appellare non debebat. Hunc Dufresnoy in tabulis chronol. recte Gallum dicit, et in Occidente consulem, Secundinum autem ejusdem anni consulem in Oriente

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sermones et Epistolas complexa, omnino differt. Versus angustius quam in illa, ut fere triceni sint in singulis paginis, nec inter lineas transversas scripti, sed lineis perpendicularibus atramento ductis terminati. In summa pagina linea transversa quoque ducta. Paginae omnes simplices, nusquam duplices versuum columnae; sed ultimus tamen strophae cujusque versus in metris Sapphico, Alcaico, Asclep. III et IV. plerumque praecedenti in eadem linea adnectitur. Litterae eclogarum initiales minio pictae, versuum initiales lineola rubra notatae. Et in hoc codice versuum numerus ad marginem in decimo quoque versu adscriptus continuatur in duobus prioribus libris a v. **1 — 1296.** Tum tertius liber suos numeros habet **1 — 818.** dein quartus **1 — 557.** Epodon liber **1 — 625.** postremo carmen saeculare. Librarii manus in numeris consignandis non alia atque ipsius codicis fuisse videtur. Ceterum lacuna est in hoc libro fol. **176**, a. ubi post III. Od. **10.** v. **5.** nulla distinctione facta statim pergitur ab Od. III, **16**, **1.** *Inclusam Danaen.* — Odae omnes titulis instructae sunt partim brevioribus, partim longioribus, passim ab altera manu, ut videtur, amplificatis. Plerumque congruunt cum vetustioribus msctis, velut Graev. Monac. **2**, nec non cum ed. Veneta **1478.** Sed frequenter etiam proprii quiddam habent. — In orthographia vocum hic liber plerumque pravam illius saeculi consuetudinem sequitur, qua litterae i et y temere confunduntur (ut Ericina, Cipri, Ciri, Troyco etc.), litt. h temere addita vel omissa (ture, thure, Tharenti, archana, etiam michi, nichil) p insertum inter mt et ms (emptus, ademptus, dempserit). Bachi, bachabor semper, et Jupiter, Affricus, dii, diis, urgere; voltus, vultus, volgus, vulgus, promiscue. In nonnullis tamen morem antiquiorem sequitur, ut Apulus, pelex, belua, baca, litus, milia, obicit, abicit, nequiquam, Ulixei cett. i littera in hoc codice frequentissime puncto notata, qui mos nondum prorsus invaluerat. — Lectio in hoc codice minus pura et emendata quam in priore parte. Vocabula subinde omissa vel confusa (ut: serves dimidium anime mee) versus etiam prave divisi (ut: nescius aure fallacis. Miseri quibus) quod in antiquioribus quoque libris haud raro fit. Textus ipse cum reliquis codd. ex Vettii Agorii recensione profectis, Leidensi Menteliano, al. non omnino quidem vel in titulis vel in verbis congruit, sed tamen meliores vetustiorum librorum lectiones plerumque sequitur, et cum Turicensi aliquid cognationis, etiam in vitiis habet, ut I. Od. **7, 13.** Ac Tiburtini lucus et praeceps Anio et uda. **22.** ter uda Lyaeo. **10, 17.** animos laetis reponis. IV. Od. **7, 7.** ad almum. **10.** imperitura. al. Praeterea memoramus: I. Od. **3, 19.** mare turgidum (a **1.** m.) **8, 2.** O deos oro. **12, 15.** Qui mare aut terram. **15, 2.** Idaeis Helenam. **21.** Non jam Lertiaden. II, **3, 11.** quo-

nominat. Ad hunc enim Flavium Felicem praeclara Theodorici Gothorum regis epistola exstat generosi sensus plena apud Cassiodorum, Variar. Lib. II, 2. (ed. Genevae 1650. p. 48.) qua ipsum laudibus ornatum, ut qui majorum splendorem meritis ac divitiis auxerit, ex Transalpina provincia Romam ad consulatum recipiendum evocat; et altera Lib. III, 39. p. 109. ad eundem Felicem Consulem atque Comitem, V. Ill. Hinc suppleri potest notitia apud Relandum in Fastis consul. p. 679. exilis nec satis plena. — Alterum Flavium Felicem poetam Peerlk. memorat, sub Thrasimundo Vandalorum rege (a. p. Chr. n. 496 — 522) Carthagine viventem, cujus epigrammata quaedam thermas a Thrasimundo factas celebrantia in Anthologia Burm. T. I. p. 481., aliudque poema, quo se clericum fieri cupit, T. II. p. 680 exstat, quo loco Burmannus hujus etiam Felicis, Oratoris ac Magistri, meminit, non tamen cum illo confundere audet, quam ad rem Peerlkampius procliviorem se fert, oblitus nimirum, hoc nomen illa aetate satis frequenter inveniri. Quid enim Africanus ille poeta, praeterea V. Cl. titulo praeditus, cum nostro oratore Romano commune habeat, non magis intelligitur, quam quibus causis impulsum una cum Vettio Agorio Constantinopolin commigrasse ibique Horatio emendando operam dedisse putemus. Ceterum hanc emendationem a Mavortio demum post consulatnm gestum esse factam, ipsa ejus subscriptio declarat.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

que obliquo. 14, 23. cupressus. 17, 25. tum populus. II, 2, 1. Angustam amici. 9, 5. aliam magis. 23, 12. securim. IV, 1, 22. lyraque et Berecynthia del. tibia. 2, 37. meliusque. Epod. 2, 65. divitis examen. 5, 15. illigata viperis. 14, 13. vel'uti ducentia.

25) **Gth. 3.** Codex 3. bibliothecae Ducalis Gothanae saec. XV. chartaceus, in Fol. sign. Ch. A. nr. 717. (descriptus in libro Jacobsii et Ukerti supra laudato p. 239 nr. 66). Hic liber plura Variorum scripta complexus, fol. 1—13. Artem poet. continet hoc titulo minio inscripto: *Horacii Flacci Artis poeticae liber.* In fine minio subscripta leguntur: *Horacii Flacci Ars poetica foeliciter finit.* tum viridi colore subscriptum possessoris nomen: *Sebastianus Brant* (nobilis ille Ictus, poeta et historicus, natus Argentorati a. 1458. Comes Palat. Caes. Cancellarius in patria, obiit 1520. In multis, quae scripsit, Navis ejus Narragonia s. *das Narrenschiff*, celebrata, quam Jac. Locher, Horatio 1498 edito notus, Latinis versibus reddidit) et annus 1476 minio adscriptus. Versus inter lineas pigmento pallide rubro (quali nostra aetate utimur) ductas 18 — 19. Spatia et supra infraque paginam et in utroque latere lineis rubris inclusa ad scholia et glossas excipiendas, quae et inter lineas et in margine satis multae leguntur, a. 2. m. nonnullae et verba in textu correcta pallidiore atramento. Litterae initiales inter lineas perpendiculares binas colore rubro vel viridi notatae, initiales singularum operis partium variis coloribus artificiosius pictae. Scriptura Germanica, orthographia illa aetate vulgaris; ę pro ae semper, sed oe servatur (moestus, hoedus, infoelix etiam) h in vocibus temere additum vel omissum, híís pro his, quum semel pro cum. Accusativi III. decl. semper in es terminati. — Lectio satis pura et emendata, pauca modo errata habet et e bono exemplari ducta esse videtur. Locos hosce notavimus: Ars poet. 56. si possim. 61. interit usus. 69. gloria vivax. 127. Qualis ab initio. 163. in vitium verti (flecti superscr.) 167. quod permutare (mox supsc. a. 2. m.) 221. Et mox agrestes. 280. Edocuit. 314. Quid sit conscr. quid jud. 334. dicere verba. 348. vult manus omnem (ad marg. et mens) 371. nec scit quantum. 378. Si paulum summo vergit, descendit ad imum. 384. vitio est remotus. 390. vox ipsa. 445. bonus et sapiens.

26) **Gtg. 1.** Codex 1. bibliothecae academicae Gottingensis saec. XV. bombycinus in 8vo maj. tegumentis corio badio obductis, ducentis circiter foliis constans (non enim numeris consignata sunt). Horatii opera omnia continet, hoc ordine: Odarum libri IV. Epodon lib. Carmen saec. Ars poet. Epistolarum libri II. Sermonum libri II. In extrema parte libri addita est collectio phrasium et sententiarum s. tit. „Elegantissimi dicendi modi e multis auctoribus comparati." sed ea a recentiore manu, a scriptura codicis multum diversa. — Hic codex, quo Gesnerus olim in editione Baxteri repetita (v. ejus praefat. p. XVII.) sed paulo negligentius est usus, in charta bombycina satis alba ac laevigata plane, luculenter accurateque scriptus, inter recentiores Hor. codices primum facile locum obtinet, cum propter religiosam eruditi librarii in exarando curam et diligentiam, tum propter codicis antiqui, unde hic liber transcriptus est, summam praestantiam. Paginae omnes simplices habent versuum columnas. Versus in singulis paginis 24 inter lineas stilo ductas lineisque perpendicularibus utrimque terminatas scripti. Tituli in Lyricis usque ad Epod. 9. pigmento purpureo, quali hodie utimur, non minio, superscripti cum titulis edit. Florentinae Landini 1482 et librorum inde ductorum plurimum conveniunt, modo in Flor. plerumque breviores sunt, v. c. I. Od. 4. „*Invitat Sextium virum consularem ad voluptuosam vitam. paranetice dicolos distrophos.*" Gott 1. „*Invitat P. Sextium consularem ad vitam voluptuosam.*" Flor. I. Od. 6. „*Agrippam a rebus gestis et*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*Varium ab eloquentia laudat.*" Gott. 1. Flor. I. Od. 8. *Alloquitur Lydiam meretricem* (mer. deest in Flor.) *ne in Sybarim adolescentem crudelis sit.* Gott. 1. Flor. Glossae inter lineas et scholia ad marginem ex antiquis scholiastis, Acrone potissimum, plerumque sumta, eodem pigmento purpureo atque eadem manu, qua ipsi versus, scripta, in Lyricis usque ad Epod. 9. permulta leguntur; in Arte poet. in Epistolis et Sermonibus fere nulla apparent, praeterquam ad Sat. II, 3, 254. scholion ex Acrone. Sed margo in priore libri parte ex humore madidus olim factus est, unde litterarum rubor partim evanuit. — Scriptura hujus codicis aequabilis et accurata saec. XV. circiter medii est et similitudinem aliquam typorum in vetustissimis libris prelo expressis refert. Littera i plerumque puncto notata, accentu (í) rarius. ω graecum pro Interjectione o passim; ae et oe diphthongi plerumque apparent (Maecenas semper) per e vel ę rarius expressae. Sigla et compendia scripturae pauca et nota. b· i. q. bus, ⁄ et, ·N· enim. — Orthographia vocum antiqua plerumque: Juppiter, Hadria, Tybur, Tyberis, temptare, sydus, loetum, lachryma cett. Accus. III. decl. in is frequentes, sed passim correcti. — Hunc librum ex Italia olim esse advectum, ex inscriptione transversa ad marginem folii secundi: *Ex libr. Congr. S. Mauri Romae.* colligitur. Sed in Italia esse scriptum, non affirmaverim, quod manum Italicam desidero. — Lectio hujus codicis recta plerumque, pura et emendata antiqui exemplaris, unde fluxit, virtutem declarat. Eadem quod non in titulis solum, sed multis quoque poematum locis cum Florentina Landini a. 1482 conspirat, etsi in multis differt, communem tamen utriusque fontem fuisse, probabiliter statuere videmur. Ex ejus lectionibus nonnullas afferre placet: I. Od. 1, 7. Hunc si nobilium (ita Flor.) ad marg. mobilium. 2, 2. rubenti (ita Flor.) sed e superscr. 7, 31. pellite curam. 9, 14. Quem fors (sors Flor.). 12, 28. Stella refulsit. var. lect. add. sidera fulgent (ita Flor.) sed punctis notata. II. Od. 13, 23. sedesque descriptas. 40 timidas — lyncas (sic Flor.) 17, 22. Consensit astrum. 20, 3. nec in terris. III. Od. 3, 55. debacchantur ignes. 11, 52. scalpe querelam (sculpe Flor.) 16, 17. Crescentem insequitur. 19, 27. Rhode (Chloe Flor.) 27, 48. cornua tauri (sic Flor.). 28, 6. et veluti. 29, 64. Aura ferat. IV. Od. 12, 11. Delectante deum. Epod. I, 34. aut perdam nepos. 5, 37. Exsucta uti. 65. munus infectum. I. Sat. I, 62. tanti quia. 84. te salvum. II. Sat. 1, 5. Quid faciam, perscribe. 73. Cum illo discincti. 79. diffindere. 2, 27. non vesceris. 28. cocto non adest. 121. tunc pensilis. 3, 1. Si raro scribis. 90. patrimoni sculpere. II. Ep. 1, 78. ac praemia. 2, 32. ornatur opimis.

27) **Gtg. 2.** Codex 2. bibliothecae academicae Gottingensis saec. XV. membranaceus in 8vo min. 90 circiter foliis constans (numeris enim signata non sunt) Horatii sermonum libros II. tum Epistolarum libros II. continet, exclusa Arte poetica. a. 1784 ab ultima Hesperia (i. e. Hispania? I. Od. 36, 4) a Tychsenio Gottingam perlatus (Mitscherl. proleg. p. XXVII). Hic codex in membrana candidissima perquam nitide eleganterque scriptus, litteris formam earum quae prelo exprimuntur plane referentibus, scriptura, quam antiquam typographi appellant. Singulae paginae 18 habent versus scriptos inter lineas stilo ductas. i littera plerumque pura, saepe puncto notata. Litterae initiales variis coloribus et auri lamellis nitide pictae. Tituli cum prima cujusque eclogae voce caeruleo pigmento scripti. Scholia glossaeque omnino desunt. Hic liber sine dubio sub finem demum saeculi XV. scriptus multis in partibus cum editis vetustis convenit, praecipue Veneta a. 1478, cujus etiam titulos habet in ipso quoque deficientes, ubi in illa desunt. Verum tamen non ex libro typis expresso, sed ex codice aliquo mscto non optimae notae originem duxisse, ipsa lectio declarat, innumeris quidem vitiis obruta, in Satiris magis etiam quam



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in Epistolis, sed a libris prelo expressis haud raro discedens. Librarius tam sollers in scriptura, quam hebes et rudis in arte, obscura exemplaris sui lectione saepe in errorem inductus esse videtur, praecipue in litteris r et s inter se commutandis. Lectiones Satirarum nonnullas hic afferre libet. I. Sat. **1**, **2**. laudat diversa. **10**. sub galli cantu. **14**. te ne morer. **19**. nolunt. **63**. miser esse. **65**. sordibus. **72**. ut pictis. **94**. nec facias. **2**, **12**. Fusidius. **14**. mercedes exigit. **3**, **34**. sub pectore. **48**. parvis fultum. **58**. pinguis damus. **62**. At non incauto **77**. nequeant. **81**. trepidumque. **4**, **87**. Ex quibus. **116**. Sed mihi sat si. **5**, **1**. me cepit. **6**, **6**. ignotos aut me. **83**. virtutis honor. **7**, **21**. Acres concurrunt. **10**, **8**. haec quoque virtus. **36**. Albinus. II. Sat. **1**, **18**. Dum res ipsa. **31**. male cesserat. **79**. diffingere. **2**, **14**. extulerit fastidia. **122**. cum duplice fico. **3**, **2**. quaeque revolvens. **17**. Verum hoc consilium. **50**. unus utrisque. **211**. immeritos dum occidit. **216**. Rusam aut pusillam. **219**. Quod si qui. **225**. Vincit enim. **240**. solidum absorberet. [3])

28) **Graev.** Codex Graevianus, vetustissimus ac laudatissimus saec. X. membranaceus, hodie in codicibus Harleianis Musei Britannici nr. **2725**. servatur. Horatii opera omnia sine dubio olim complexus, post mutilus, avulsis pluribus membranis et dispersis (ut Broukhusius notavit) in doctorum manus pervenit. Continet, ex vetusto ordine, Odarum libros IV. Artem poet. Epodon librum, Carmen saec. Epistolarum lib. I. usque ad epist. **8**. v. **7**. quo loco lacunam habet usque ad II. Epist. **2**. v. **20**. Hanc epistolam excipit Sermonum lib. I. usque ad sat. **2**. v. **113**. in quo liber deficit, ut reliquae omnes satirae desiderentur. Scholia habet non pauca, partim ex Acronis et Porphyrionis commentariis excerpta, partim propria, quibus sententiae explicantur. Hic codex, omnium fere celeberrimus, primum Jo. Georgii Graevii (nobilis illius alumni Portensis) fuit Trajecti ad Rh. a quo Bentleio ad eius usus est commodatus et transmissus, ut ipse refert in praef. ed. Lips. p. VI. („Vetustissimum sane exemplar annorum facile DCCC, cui „tamen Epistolarum et Sermonum pars magna deerat, suppeditavit et huc transmisit praestantissi„mus Graevius ὁ μακαρίτης; post eius obitum in bibliothecam Serenissimi Electoris Palatini cum „reliqua eius libraria suppellectile concessit.“) Quanti eum vir summus fecerit, pluribus commentarii locis ipse indicavit, ut I. Od. **15**, **21**. „praestantissimi mei codices Graevianus et Reginensis.“ cett. Ex bibliotheca Palatina quo casu in Harleianam migraverit, non reperimus. Certe eundem esse codicem Harleianum A. Nr. **2725**. saec. X. quo Combius in apparatu critico ad editionem suam a. **1792** est usus, Obbarius V. Cl. de codice Graeviano agens in libro: Zeitschrift für Alterthumswissenschaft. a. **1840**. Nr. **6** et **7**. luculenter demonstravit. Nam non solum iisdem prorsus locis, quibus et apud Bentleium et in schedis Broukhusianis (I. Epist. **8**. v. **7** – II, **2**. v. **20** et I. Sat. **2**. v. **113**.) Combii quoque codex ille deficit, sed in lectionibus etiam inde allatis fere totus cum Graeviano conspirat, quantum quidem ex collationibus a Graevio, Bentleio, Burmanno et Broukhusio factis, quae nobis ad manus sunt, judicari licet. Ubi Combii lectio a

3) In fine hujus libri brevior Horatii vita legitur, eadem qua codex ipse manu scripta nec usquam, quod sciam, adhuc vulgata, quam hic primum afferre liceat.

„Qu. Horatius Flaccus natus Venusiae ante diem VI. Iduum Decembr. C. Cota L. Torquato coss. Ex ordine libertinorum patre Horatio facultatibus modicis. Ab ineunte etate inter studia educatus: Athenas profectus philosophiae operam dedit: sectae Epicuri haesit quae tunc communis multarum gentium erat. Bello civili in Macedonia sub M. Bruto tribunus militum: Mecenatis deinde opera Octavio Caesari qui postea Augustus fuit in amicitiam receptus. Decessit Romae annum agens LXXVII. relicto herede Augusto. Sepultus est in campo Exquilino in ortis Mecenatis.“ De reliquis poetae Vitis v. not. 5. ad Nr. 40. Lips. 4.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Broukhusiana discedit, quod haud raro fit, (exemplis l. c. allatis addimus modo ex Sat. I, 2, v. 3. Tigilli. Br. 12. Fusidius. Br. 29. subducta. Comb. 45. quidam-ferro. Br. cuidam-ferrum. Comb. 51. munificum. Br. 64. Sille. Br. 68. videnti. Comb. 90. lyncei. Comb.) differentiam illius incuriae ac socordiae magis quam hujus tribuendam esse cum Obbario sentio. Broukhusii enim collatione (quam ad marg. ed. Heinsianae a. 1612. adscripsit, ut supra p. 3. indicavimus) nihil potest esse fidelius et accuratius, ut qui et orthographiae varietatem ubique notaverit, et scholia suis locis exscripserit, et titulos eclogarum omnes exhibuerit, quos Burmannus in sylloge sua prorsus omisit. Sed idem codicis Leidensis titulos omnes exscripsit cum Graevianis plerumque ad verbum congruentes, ut ex uno eodemque exemplari ducti esse videantur (ex. gr. I. Od. 4. Paranetice dicolos ad Sestium Quirinum. 5. Prosphonetice tetracolos ad Pyrrham. 6. Hypothetice tetracolos ad Agrippam. 7. Paranetice dicolos Planco. 8. Erotice dicolos ad Lydiam. cett. Ita in utroque). In singulis lectionibus Burmanni collatio cum Broukhusiana non omnino consentit, quod exemplis probabimus. I. Od. 2, 12. damnae. Burm. dammae. Br. 6, 8. Ulyxei Brm. Ulixei. Br. 13, 19. queremoniis. Brm. (quod alia manu adscriptum coll. Graev. ap. Bothium docet). divolsusque prementibus. Br. 27, 5. acinacis Brm. acinaces Br. 35, 36. manum Brm. manus. Br. III. Od. 11, 46. demens Brm. clemens Br. 24, 49. materiem. Brm. materiam Br. 25, 18. est + Brm. est Br. 26, 9. regis Brm. tenes. Br. 28, 9. in vices. Brm. invicem Br. IV. Od. 1, 9. in domum Brm. (et Bentl.) in domo. Br. 11. comitabere, in marg. commissabere. Brm. nil notavit Br. 20. cupria. Brm. cypria. Br. — In orthographia vocum cod. Graev. antiquum plerumque usum, sed non constanter servat: Juppiter, Maecenas, (Mecenas), Bachus, Apulus, heres, baca, belua, caelum, caena, praelium, quicquid (semel modo quidquid) quicquam nequiquam, quicumque, utcumque, numquam, umquam, (sed quanquam) volgus, volnus, volt, Volcanus, evolsis plerumque (sed vulpes) urget, urguet, litus, littus, incomptus, temptare, dampnum, deicere, inicit, obicit, dii, Pompilii, Tarquinii. e pro ae vulgare, sed ae, oe diphthongi in vocibus satis frequentes. i et y promiscue (nimphe, phrigum, tybur, nymbi). h temere additum vel omissum (Asdrubal, Hasdrubal, tyma, carta, corda, orti, archana, Hiberia): vicium, canicies, capud, velud, faretra, passim. Accusativi tertiae decl. in is crebro inveniuntur. — Hujus codicis sex haud minus collationes factae sunt: a) Bentleii. b) Graevii, in margine ed. Henricopetr. I., quae in bibliotheca acad. Heidelb. servatur, unde Bothius lectiones excerptas in Annotatt. ad Horat. exhibuit, sed modo ad Od. lib. I. II. usque ad lib. III. initium pertinentes. c) Jani Broukhusii ad ed. Heinsianam a. 1612. supra indicata, quam Graeviani codicis esse, Obbarius l. c. praeclare probavit. d) Ejusdem Broukhusii altera ad marginem ed. Ascensianae a. 1529. adscripta, quae in bibliotheca Bodlejana servatur, ut refert Mitscherlich. proleg. p. VII. e) P. Burmanni, quam supra p. 3. memoravimus, non commutanda cum lectionibus cod. Leidensis et Zulich. quas Nic. Heinsii manu scriptas P. Burmannus cum Bentleio communicavit (v. Bentl. praef. p. VI). f) C. Combii, in ed. operum Hor. a. 1792. 93. de qua paulo ante egimus. Tertiam ex his omnium accuratissime factam putamus.

29) **Gph. I.** Codex 1. bibliothecae Ducalis Guelpherbytanae saec. XV. membranaceus in Fol. min. sign. Gud. 108. cujus notitiam dederunt Ebertus in Catalogo msceptorum bibl. Guelpherbyt. p. 88 nr. 433. et paulo pleniorem sed parum accuratam Mitscherlich. V. Cl. in Ed. Carm. P. II. praef. p. V. Satirarum lectiones ex hoc codice accurate excerptas Schneidewin.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

V. Cl. olim benigne nobiscum communicaverat, nunc et hujus et aliorum quinque codicum Guelpherb. cum duobus Scholiastarum veterum codicibus usum propriamque cognitionem Schoenemanni V. Cl. humanitati debemus. Quare cum antea trium modo codd. Guelph. lectionibus excerptis uteremur, nunc ex propria aestimatione de hisce sex libris mss. judicare nobis licet. — Hic ergo codex Gud. 108. cui primum inter Guelpherbytanos locum viri docti merito assignant, omnino, licet recentior sit, in melioribus et splendidioribus poetae nostri habendus. Mundissime enim et accuratissime in membrana satis alba et laevigata ab initio ad finem eadem manu scriptus, marginibus amplis ex omni parte relictis, decora specie, tegumentis corio purpureo obductis e bono et emendato exemplari originem duxisse videtur. Foliis 104 non signatis constans, ab initio mutilus, continet a carm. I, 23. Odarum libros IV. Epodon libr. Carmen saec. Artem poet. Sermonum libros II. Epistolae desunt. Columnae versuum in singulis paginis simplices versibus 28 constant, scriptis inter lineas stilo subtiliter ductas, binis utrimque perpendicularibus terminatas. Litterae et librorum et eclogarum initiales omnes parva sigilla referunt variis coloribus picta circa litteras auri lamellis factas; librorum quidem paulo ampliora sunt. Litterae versuum initiales eodem quo ipsi versus atramento pallide nigro scriptae simplicissimae, a textu paullulum semotae. Tituli in Lyricis et Epodis plerisque breviores pigmento pallide rubro inscripti, velut I. Od. 25. Ad Lidiam. 26. Ad Musam de Lamia. 27. Ad sodales suos. 28. Archytam philosophum alloquitur. 29. Ad Iccium. 30. Euctice Veneri. IV, 1. Ad Bavium Maximum! Sermones titulis carent. Versuum numeri modo in Artis poet. decimo quoque versu a. 2. m. adscripti. Scholia glossaeque omnino absunt. Correctiones perpaucae et verba omissa ac suppleta fere in Epodis modo. — Scriptura hujus codicis luculentissima, explicata et aequabilis indolem puram, rotundam, minime angulosam scripturae Italicae s. Romanae recentioris refert, qualis Saec. XV. demum sub initia artis typographicae excoli coepit, hac ipsa nimirum iuvante, ut cujus elegantiam librarii aemularentur. Quare hic codex et alii ejus aetatis, velut Gotting. 2. noster, cum libris Saec. XV. in Italia per typos accuratius expressis plurimum habent similitudinis, ut Gothici characteris, quem libri msсti saec. XIII. et XIV. etiam prae se ferunt, quemque typographia Germanica proprio modo excultum post etiam servavit, nullum omnino vestigium exstet. Litterae enim majores non unciales antiquiorum codicum, sed capitales omnes, quibus et Artis poet. v. 1. scriptus. Litterae minores ad formam minusculae Romanae qualis saec. X. fuit., prope accedentes, typos librorum Italicorum saec. XV. (velut Venetae nostrae 1478. al.) referunt. In his litteris s finale ubique, d, non ∂, r, non ꝛ, u, non v. t iam supra lineam escendit. Vetusti usus nulla, recentioris multa indicia, in quibus i puncto ubique notatum, ij prius insolitum (dij, triuijs) œ siglum (phœbus) & siglum, ductu non antiquo sed qualis typorum hujus aevi est. Tum praecipue recenti more a vetustis codd. alieno, maioris litterae usus post punctum et interrogandi signum in mediis versibus frequens (v. c. I. Sat. 1, 99. metuebat. At hunc liberta. 103. componere? Non ego avarum). His de causis vere impedior, quo minus hunc codicem cum Eberto in Catalogo mss. ad saec. XIV. referam, a cujus indole tota specie abhorret; saeculo XV. potius vel medio vel paulo post medium periti librarii sollertiae eum attribuere cogor. Ceterum in Italia esse scriptum, vel ipsa orthographia demonstrat. Nam quom semper legitur pro cum, autunnos pro autumnos. praeterea notamus: Mecoenas (hoc ipsum recentius) Salustius, Lucillius, foelix, lachryma, quicunque, percunctor, hostia, habunde cett; sed mihi, nihil. — Lectio hujus libri plerumque sana, recta et emendata, verbis rarius transpositis, mutatis saepius, rarissime omissis, multa habet propria cognituque omnino digna, licet ex librariorum ingenio, ut fit in recentioribus msctis plerisque, haud pauca profecta sint. Lectiones ex Odarum libris et Epodis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

excerptas Seebodius V. Cl. in Bibliotheca crit. 1820. T. I. Fasc. 2. p. 158. sq. vulgavit. Ex Satiris nonnullas hic afferemus: I. Sat. I, 3. laudat. 19. nolunt. 31. tuta recurrant. 37. Nusquam prorepit. 38. patiens. 40. Nil obstat. 49. Qui nihil. 55. de flumine malle. 66. me exibilat. 79. optarem. 89. retinere velit. 90. operam perdes. 95. Umidius. 101. Quid igitur suades? — Nevius — Momentanus 104. vappam jubeo nebulonem. 105. inter tanam. 109. ac laudet potius. 116. euntes. 121. putes ideo non amplius addam. 2, 17. patribus diris. 71. deferbuit ira. 78. Desine sectari matronas. 80. Nec magis haec inter. 83. Adde haec quod. 86. apertos. 3, 24. est amor hic 25. provideas. 76. excindi. 87. misero tristes venere calendae. 106. ne quis adulter. 133. solus sic rex — vellent. 4, 3. ac fur. 25. elige turba. 57. excipias si. 44. vitatum quodque petitum. 141. veniet — auxilioque. 5, 1. me cepit. 13. aes dum. 37. demum urbe. 69. grandi sic. 6, 1. quisquis. 5. plerumque. 7. Dum referre. 39. de saxo cives et tr. 53. possim casu qui te. 60. narro et respondes. 85. metuit sibi. 127. interpellat. 7, 6. dirus homo. 28. multum atque fluenti. 8, 12. in agro. 9, 3. occurrit. 4. Apprensaque m. quid ais. 7. hinc ego. 19. quid agam non sum p. 38. huc ades. 70. mihi unquam. 10, 18. unquam vidit — nec simius. v. 33. deest. 43. Fata canis. 86. simul et te. Sat. 10. incipit ab: Nempe incomposito. Sat. II, 1. 62. te capiat. 69. populique tribunum. 71. a vulgo scena — remorat. 79. hinc diffingere. 4, 44. fecundae leporis. 5, 59. quicquid dico. 101. Heres audieris. 8, 4. iratum stomachum. 14. Quom sacra fert cereris procedit.

30) **Gph. 2.** Codex 2. bibliothecae Ducalis Guelpherbytanae saec. XV. chartaceus in Fol. maj. sign. Helmst. Nr. 333. cujus notitiam dedit Ebertus in Catalogo p. 88. nr. 434. et aliquanto pleniorem Th. Schmidius V. Cl. in Ed. Epist. T. II. p. 259. nr. 4. Hic liber bona et decora specie, frontibus rubris, tegumentis ligneis corio suillo figuris impressis ornato obductis, Horatii opera omnia continet, hoc ordine: Ars poet. Sermonum libri II. Epistolarum libri II. Odarum libri IV. Epodon lib. Carm. saec. Hic codex in charta satis alba ac firma perquam nitide eleganterque scriptus, 155 foliis constat non signatis. Singulae paginae columnas versuum habent simplices, 24 versibus constantes scriptis inter lineas cerussa ductas sed plerumque deletas, marginibus foliorum latissimis relictis. Librarius in primae paginae summo margine nomen suum inscripsit: *Ihs. Maria Jeronimus.* Post Epist. II. 2. subscriptum: *Deo gratias. Amen.* et in extrema pagina post carmen saec. *Et sic est finis.* Scriptura hujus codicis, plana aequalis et explicata, magnam habet similitudinem cum libris saeculo XV. per typos accuratius expressis. Litterae librorum (Art. poet. Serm. I. Epist. I. Od. I.) initiales auro variisque coloribus splendidius ornatae, eclogarum initiales omnes vel minio vel caeruleo pigmento artificiosius effictae. Litterae majores unciales sunt, minuscula inter Romanam et Gothicam medium tenet. e pro ae ubique; ı purum plerumque, accentu (í) saepius, puncto (i) rarius notatum ∂ ubique, non d. r et ꝛ promiscue; ſ et s in fine vocum promiscue; u. pro v. semper. Sigla et compendia scripturae fere nulla. Interpunctio simplex, per punctum majus et minus, semicolon (;) etiam pro interrog. signo. — Orthographiae ratio (michi, nichil, habunde) et tota scripturae indoles librum in Italia olim exaratum produnt. Praeterea legitur: Jupiter, Mecenas, Bachus, perconctor, milia, menbra, dampnum, tempto, tempnens, conpilent, hostia, habeas, (sed olus) pulcri, velut, velud, etc. Glossae inter lineas et scholia ad margines non nimis frequentia per totum librum a manu saec. XVI. misere et obscure adscripta

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Lectio hujus codicis non aeque praestans atque scriptura, haud raro corrupta est ac mendosa, vocibus vel transpositis vel depravatis, rarius omissis, saepe perperam additis. Etiam toti versus passim desunt. Multa lectionis vitia a posteriore manu correcta. Quare hic liber etsi ad antiquiorum laudem non accedit, non tamen contemnendus, qui sua etiam bona habeat. Lectionis varietem in Lyricis Jani, in Epistolis Th. Schmidius publicavit. Nos modo e Satir. I. 1. excerptam hic plenam exhibemus. v. 1. quam sibi sorte. 2. seu sors. 7. occuritur. 8. Momento cita. 9. legum jurisque. 11. qui a rure — in urbem (est +) 12. viventes (e corr.) 19. nolunt. 21. nec se fore. 25. Quid vetat (quis superscr.) 26. velint elementa ut d. 33. nam exemplo est. (haec vox. a. 2. m. parenthesi inclusa). 38. patiens. 39. demoveat neque hiems. 46. plus ac meus. 53. plus laudes cumeris. 55. mallem. 59. tantulo eget (ex corr.) 60. neque vitam. 64. id faciat. 71. et tanquam (parcere - pictis tanquam a. 2. m. adscr.) 73. Nescis quo valeat. 79. optarem. 81. te afflixit. 83. reddat natis. 85. oderunt te noti. 87. mercaris (merearis corr.) 88. At si cogn. 91. In campum — fretos (frenis corr.) 92. cumque habeas. 94. ne facias. 95. Umidius. 97. Non nunquam (n. deletum a. 2. m.) melius servo. 101. Quid igitur mihi suades — Nevius. 102. momentanus. 108. nemo ut avarus (nemon corr.) 110. distantius (distentius corr.) 115. suis vincentibus. 118. contemptus (contentus corr.) — vite.

31) **Gph. 3.** Codex 3. bibliothecae ducalis Guelpherbytanae, saec. XIII. membranaceus in 8vo maj. sign. Gud. 185. cujus notitiam dederunt Ebertus in Catalogo p. 88. nr. 439. 40. et Th. Schmidius V. Cl. in Ed. Epist. T. II. p. 259, nr. 3. qui Epistolarum lectiones inde excerptas vulgavit. Hic codex satis bona specie, tegumentis corio purpureo obductis, sed intus minus bene habitus, foliis nonnullis laceris, deficientibus aliis, haec continet: Horatii Artem poet. ab initio mutilam, a v. 119, cum lacuna a v. 278 — 333. tum Epistolarum libros II. fere integros, deficiente modo loco I. Ep. 17 v. 44 — 50. postremo Sermonum lib. I. nec eum integrum, deficiente uno folio Sat. 3, 17 — 73. altero Sat. 3, 128 — 4, 43. Finitur in Sat. 10. v. 62. Singulae paginae versus 28 habent scriptos inter lineas plumbo vel cerussa ductas, binis perpendicularibus terminatas stigmatisque in marginibus signatas. Scriptura satis pinguis, licet minus elegans, plana tamen et explicata, indolem saeculi XIII. omnino prae se fert, sed a fol. 39. alia atque in priore parte esse videtur. Litterae et librorum et eclogarum initiales minio artificiosius pictae, versuum initiales omnes lineola rubra notatae. Sigla et compendia scribendi non multa et usitata. Scholia omnino desunt. Glossae paucissimae a 2. m. in Epistolis aliquot superscriptae. — Hic liber omnino parvi aestimandus, ut ab imperito librario e codice non optimae notae perquam negligenter et vitiose exscriptus. Exempli causa modo lectiones ex Satirae 1. prima parte hic exhibemus: v. 2. Securatio — abiecerit ulla. 3. Contemptus vivat. 5. Millet ait multo jam flactus membra dolore. 6. navem. 7. 8. ore Momta cita mors. 9. Agriculam. 10. Sub cantum calli — hostia. 11. extractur in urbe. 12. diventes. 14. vallent fabium. vente. morer. audi. 15. Quod rem deduccam. 17. hinc vox. Vox hinc. 19. Quid statis. volunt. atque licet. 21. buccas infret. Jam satis habemus. Sed tamen nec omnes paginae pariter mendosae sunt, et in prava interdum scriptura bona lectio subest.

32) **Gph. 4.** Codex 4. bibliothecae Ducalis Guelpherbytanae saec. XIII. membranaceus in 4to min. sign. Helmst. Nr. 1027. cujus notitiam v. ap. Ebertum in Catal. nr. 437. et Th. Schmidium in Ed. Epist. T. II. p. 258. nr. 2. Hic codex, non bene habitus, tegu-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mentis ligneis (quorum posterius annulo ferreo fortasse ad librum alligandum instructum) corio sordido tectis a vermibusque exesis, volumine mediocri praeter alia plura in **22** foliis Horatii Epistolas continet usque ad Epist. II, **2**, v. **193**. in membrana valde trita et sordida sordide, anguste et inaequaliter scriptas. Singulae paginae imparibus numeris spatiisque modo angustioribus modo laxioribus **30**—**36** versus continent scriptos inter lineas stilo ductas binisque perpendicularibus utrimque inclusas. Litterae eclogarum initiales viridi colore pictae minioque passim exornatae, versuum initiales a textu aliquantum semotae eodem viridi pigmento omnes notatae. Paginae priores glossis inter lineas et scholiis variis manibus aetatibusque varie scriptis obrutae inspicienti horrorem paene movent. In posterioribus ab Ep. **15**. scholia et glossae fere desunt, praeterquam ad partem Ep. II, **2**. in cujus margine Horatius ipse rudi pictura videtur expressus. Tituli ab Epist. **9**. eodem viridi pigmento ad marginem adscripti. Atramentum in prioribus foliis e rubro nigrum, post pallidius. Scriptura minuta, inaequalis, parum accurata, siglis et compendiis scribendi obruta ideoque lectu difficilis, Gothica est, sed posterioris aetatis. Litterae b. h. l. p. q. f. vel infra vel supra lineam plerumque longius productae, praecipue f in fine vocum, ut fere S majus referat. ∂ plerumque, d rarius, r et ɪ promiscue. g ductum posterioris aetatis a saec. XIII. extremo habet et h arcum suum infra lineam protendit. s finale frequens, v pro u initio vocum, e pro ae semper (Mecenas, camene) i purum ubique, sed íí passim (studíís). 7 pro et ubique, in ipsis vocibus (lat7) ÷ pro est, **9** pro con, ꝝ pro rum etc. Litterae majores minoribus passim immixtae, M praecipue et R (impaR); numeri signis interdum expressi (**1**,**58**. Si quadringentis VI. VII. milia desunt). In distinctionibus praeter punctum majus et minus et usitatum interrogandi signum lineola perpendicularis in medio et fine versuum pro commate usurpatur (quid pauper| ride| mutat cenacula| lectos|). Orthographia in plerisque antiquiorem consuetudinem servat. p inter mn, ms, mt ubique insertum. Lectio hujus codicis e libro satis bono ducta propter librarii incuriam innumeris vitiis laborat, vocibus vel omissis vel transpositis vel depravatis; multa tamen partim ab eadem, partim ab altera manu menda correcta, non raro etiam aliae lectiones adscriptae. Th. Schmidius noster l. c. Epistolarum lectiones ex hoc codice excerptas vulgavit; sed racematione tamen opus est, quam ex gr. ad I. Ep. **1**. hic instituemus. v. **6**. exornet (sed n deletum) **9**. peccet in extremum. (sed ad superscr.) **32**. est quodam pr. (sed quadam superscr. quoddam ad marg.) **40**. patientem accommodet aurem. **66**. si recte facias, si non (ad marg. vel: si possis recte) **69**. aptat (superscr. vel optat) **93**. prora triremis (superscr. vel priva) **97**. cum puꝝnat. (ad marg. cum pugnet) **104**. unguem. *nagel* adscr. antiqua manu. **105**. locus. te respicientis — sapiens omissus in textu, ad marg. adscriptus.

**33) Gph. 5.** Codex **5**. bibliothecae Ducalis Guelpherbytanae saec. XIII. membranaceus in 8vo maj. sign. Nr. **50**. **4**. cuius notitiam v. ap. Ebertum in Catal. nr. **441**. Hic liber corio nigro obductus et bene habitus in volumine satis amplo praeter alia scripta obscuriora Salustii opera continet et Horatii Artem poeticam in **34**. foliis laxissime ac luculentissime scriptam, ut singuli versus duas lineas occupent et singulae paginae septenos versus contineant scriptos inter lineas in priore libri parte cerussa, in altera pigmento pallide fusco ductas, binis utrimque lineis perpendicularibus terminatas, ut amplissimum in exteriore margine spatium relictum sit. Membrana perquam crassa satisque alba. Prima Artis p. littera minio variisque coloribus picta est. Glossae et scholia eadem, ut videtur, manu qua ipsi versus, inter lineas scripta in priore libri parte fere usque ad v. **200**, in altera deficiunt. Versuum numeri in decimo quoque versu a **2**. m. adscripti. In primo folio puro averso legitur: *Lib. s. Michahelis. Poetria Oratii.*



Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

In fine subscriptum: *Explicit Oracius bonus.* Atramentum e fusco nigerrimum. Scriptura plana, explicata, aequalis et accurata, litteris grandioribus et pinguioribus. Interpunctio simplex et commoda per punctum majus, minus et interrog. signum. Rarius major littera post punctum in medio versu. Litterae initiales uncialibus constant simplicioribus, et cum minoribus indolem saec. XIII. ineuntis magis quam medii vel exeuntis prae se ferunt. e vel ę pro ae, oe semper, i purum ubique, í vel i nusquam, modo íí passim (enníí, indicíís). d ubique, non ẟ. r fere semper, ι rarius, ſ longum ubique, s finale rarius, et supra lineam elatum (veli<sup>s</sup>). u pro v semper, y puncto superscripto semper notatum, ut in Lips. **3**, a. Compendia scribendi rara et pauca: &, ſ; (pro sed) frequentius. Orthographia vocum antiqua fere: p inter mn, ms, mt semper insertum (columpne, sumpsit, emptor, ademptus) i et y saepe inter se commutatae (ymus, tybicen, pysones, yliacum, ciclicus, satiros): ad, in, con in compositis raro coalescunt: adquirere, adspirare, inpariter, inmunda, tum exul, expes, vicium, ocium, quicquid, umquam, quocumque, dumtaxat, urgere, carta, grais cett. — Lectio huius codicis e bono et vetusto exemplari descripti proba, recta et emendata, pauca habet vitiosa, sed propria cognituque digna plura offert, ut hic liber in melioribus omnino habendus sit. E variis lectionibus nonnullas afferre placet: v. **8.** Finguntur species. **53.** fonte cadent. **74.** scribi possint. **132.** Non circa **136.** incipias. **138.** Quid tanto dignum. **152.** Primum ne medio. **178.** morabitur. **208.** et urbes. **236.** Non sic. **252.** accedere iussit. **273.** secernere dicto. **274.** callemus et arte. **304.** sed ego fungar. **340.** abstrahat alvo. **351.** Ast ubi plura. **368.** coeptis medium. **385.** facies dicesque. **423.** et excipere atris.

**34) Gph. 6.** Codex 6. bibliothecae Ducalis Guelpherbytanae saec. XIV. membranaceus in 8vo, sign. Gud. **303.** cuius notitiam v. ap. Ebertum in Catal. nr. **436.** et Th. Schmidium in Ed. Epist. T. II. p. **258.** nr. **1.** Hic liber corio badio tectus in volumine satis amplo praeter plura alia scripta (Prudentii ψυχομαχίαν c. schol., Velledini physica, Matthaei Vindocinensis historiam Tobiae metro elegiaco compositam) Horatii Epistolas continet omnes, excepta Arte poet., in **60** foliis plane et dilucide scriptas in membrana satis crassa et alba. Lineae stigmatis in foliorum marginibus signatae in singulis paginis a fol. **13.** averso fere **35 — 37**, eodem quo versus scripti sunt, atramento ductae unaque linea perpendiculari utrimque terminatae intra quas versus non certo numero, scholiis copiosissimis intermixtis, ut singuli ad summum tertiam quamque lineam occupent, interdum pauci modo in singulis paginis exstent. Litterae initiales in prioribus decem Epistolis minio pictae, in reliquis omnino desunt. Titulo liber caret, in fine haec subscripta: *Qui te scribebat Hermannus nomen habebat. Liber in novo monasterio.* Nec singulae Epistolae titulis instructae, sed argumentis plenioribus. Omnino glossae et scholia inter lineas et ad margines per totum librum largissima plenum quasi commentarium ad Epistolas efficiunt eo pluris habendum, quod neque ex Acronis et Porphyrionis commentariis excerptus vel conscriptus, sed nonnullis partibus multo illis copiosior, nec philologicae et historicae doctrinae copiis carens propria multa affert nondum vulgata et auctorem prodit Grammaticum aliquem, quisquis ille fuit, satis pro illa quidem aetate eruditum ac diligentem, ut huic commentario locus aliquis inter veteres tribuendus esse videatur, licet mira interdum commenta afferat.[3]) Haec scholia eadem manu qua

3) Ex his scholiis nonnulla excerpta quasi pro documento hic exhibere placet. Ep. I, 1, 54. *Haec Janus summus ab imo prodocet:* Janus in foro tres habuit statuas, ad primam dabatur pecunia ad usuram, ad secundam reddebatur, ad tertiam verberabantur debitores qui pecuniam reddere non poterant. Vel: habuit Janus tria templa, unum ingressu fori, alterum in medio, tertium in exitu. Vel aliter: Janus erat deus anni temporis et diei. dicit ergo Romanos in pecunia acquirenda studiosos a prima die anni usque ad ultimam. et hoc est Ja-

ipsi versus scripta esse videntur, sed quod mirum est, veram interdum lectionem afferunt pro corrupta, quam textus habet, ut librarium, qui codicem scripsit, non eundem fuisse commentarii auctorem putes. — Scriptura hujus codicis plana, aequabilis et luculenta, litteris satis magnis et pinguibus, indolem saeculi XIV. cui Ebertus tribuit, sed ineuntis magis quam postremi prae se fert, et majuscula et minuscula Gothica explicata, recta et simplici, nec ductibus calami distortis posterioris aetatis, nec ita multis siglis et compendiis turpata. Litterae longiores b. f. g. h. l. p. q. ſ. vel supra vel infra lineam modice excedunt. e vel ę pro ae, oe semper (Mecenas, camena) i vel purum vel accentu notatum, í (íí semper: díí, alíís) puncto i nusquam. δ ubique, non d. r et ꝛ promiscue. m. n. u. crura lineolis inter se juncta habent. g illius aetatis figuram refert, infra in commatis inversi formam desinentem. ſ longum in fine vocum rarius, s plerumque, u ubique, non v, et initio vocum. Sigla et compendia scripturae vulgaria, 7 et, 9 con, e vel ÷ est. Punctum majus fere pro omni distinctione. — Orthographia vocum antiquam consuetudinem non ubique servat: Ulixes quidem, milia, belua, obice, totiens al. sed Jupiter, percunctor, michi, nichil, habunde, holus, cathena (ebrus tamen, edera, arena) ut codicem in Italia scriptum putes; c pro t plerumque (vicium, gracia, inscicia, condicio, sedicio, sapiencia) i pro y frequenter (linceus, Olimpia) p inter mn, ms, mt (sompnus, alumpnus, sumpsit, emptus, contempno). — Lectio hujus codicis e bono et vetusto libro profecta plerumque satis recta et emendata est, non tamen vitiis suis caret, vocibus vel depravatis vel transpositis vel omissis. Sed nonnulla tamen propria bona habet, ut hic liber cum propter haec, tum propter commentarium cognitu omnino dignissimus sit. Ad Epistolarum lectiones a Schmidio V. Cl. l. c. vulgatas nonnulla supplementa ex Ep. **1.** et **2.** addemus. Ep. **1**, **12.** depromere possum. **16.** mersor. **18.** furtim q̄u; relabor (in Comm. praecepta). **19.** subjungere. **33.** misera (deest que) cupidine. **34.** linire. **48.** dicere et audire. **65.** qui rem facies rem. **66.** Si facies recte (in Comm. si possis). **78.** frustis. **87.** in aula (def. est). **93.** nauseat ut loc.

nus summus qui est in introitu fori usque ad exitum. i. omnes qui habitant in introitu fori. ab imo, qui sunt in fine fori in exitu quod est qui sunt ab introitu fori usque ad exitum. —

Ep. 2, 11. *Nestor componere lites inter Peliden festinat et inter Atriden.* Achilles Lyrnesium oppidum expugnavit et ibi Briseidem rapuit. Unde Ovidius in Epistola (Her. 3, 45.) Diruta Marte tuo Lyrnesia moenia vidi. Iterum Agamemnon Chryseidem filiam cujusdam sacerdotis Phoebi rapuit. Unde Phoebus continuis precibus sui sacerdotis pulsatus pestem gravissimam Graecis immisit adeo ut catervatim morerentur. Itaque deorum consuluerunt oraculum quo modo pestis illa cessaret. Tandem rex coactus illam reddere, et suo destitutus amore Achilli suam abstulit Briseidem. Unde Achilles ob illatam sibi injuriam iratus, Graecis suum negavit auxilium et verum multum infestati sunt a Trojanis. Nestor vero ut Achilli Briseidem raptam redderet, regem hortabatur. Honestum autem et utile hoc erat. honestum erat ut Achilli suam redderet, utile vero recuperando auxilium Achillis. Atrides hoc nolebat, quod inhonestum erat, ut aliena potiretur uxore, inutile quod auxilium Achillis ideo sibi denegatum. —

Ep. 17. 30. Alter Mileti textam cane pejus et angue vitabit chlamydem. q. d. citius tanget canem mordacem vel anguem quam vestem purpuream et hoc probat factum Alexandri. Siquidem Alexander militans iniit domum Diogenis ubi se balneabat. Alexander vidit viles pannos et quaesivit cujus essent. Dixerunt quod essent Diogenis. Jussit itaque quendam armigerum ut eos tolleret et splendida ornamenta ibi ponerentur. Et ita factum est. Cum autem Diogenes exiret de balneis videns illa splendida ornamenta expavit et noluit illa tangere et frigore coepit algere. Abscedens itaque Alexander remisit quendam servum suum ad videndum quid faceret. qui videns illum pereuntem frigore reversus ad regem dixit: morietur frigore. Quidam autem dicunt quod Aristippus videns se non posse Diogenem verbis superare, voluit factis eum superare. Invitavit ergo eum ad balneum atque furatis omnibus indumentis splendida reposuit indumenta et abscedens jussit quendam servum suum ut videret quid faceret. qui videns eum a splendidis vestibus frigescentem assidere revertens ad dominum suum dixit: morietur frigore etc.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

2, 16. intra muros (non inter). 22. adversus. 29. operosa juventus. 32. jugulent homines. 33. atquin. 36. Intendis animum. 52. podagra. 57. rebus marcescit opimis. 65. Ire viam qua monstrat.

35) **Leid.** Codex Leidensis bibliothecae acad. Lugd. Bat. nr. 27. saec. X. membranaceus, idem, cujus varias lectiones a Nic. Heinsio excerptas P. Burmannus cum Bentlejo communicaverat, qui eum aetate supparem Graeviano dicit in praef. p. VI. et magni merito facit. Epodon libro subjectam habet famosam illam Vettii Agorii consulis Rom. subscriptionem, de qua egimus ad Goth. 2, b. p. 24. Horatii opera omnia videtur integra continere, quod et ubique a Bentleio citatur et finem habet in ultima Satira II. 8. Nostra sylloge Burmanniana ejus lectiones modo usque ad Od. IV. c. 2. exhibet. Glossae inter lineas et scholia ad margines passim adscripta. — Hic reverendae vetustatis codex lectionem plerumque probam et antiquam refert et ex optimo exemplari ductus esse videtur. Praeterea multas habet correctiones et varias lectiones eadem plerumque manu ad marginem adscriptas, quae augent ejus praestantiam. Sed multa etiam vitia, multa prave ac mendose scripta inesse, singulae fere paginae declarant. Orthographia vocum vetustiorum codicum est: Juppiter, Maecenas, Ulixes, Apulus, belua, Hadria, tura, loetum, nothus, dii, diis, suboles, neglegens, obprobrium, inpavidus, inmemor, adfixus, inlaqueant, pinna (pro penna): volt, Volcanus, divolsus: ae pro e passim (caedere, Europae): accusativi tertiae declin. in is frequentes. Accus. Graeci crebro in m. (Cretem, Mytilenem, Sybarim). — Ex ejus lectionibus nonnullas hic afferre placet: I. Od. 1, 35. vatibus inseris. 4, 8. visit. adscr. urit. 7, 9. Aptum dicet. 12, 9. rabidos morantem. 18, 5. increpat. 19, 2. jubent me Semelae. 24, 13. Quid si Threicio. 27, 13. Cessat voluptas. 28, 4. tibi quicquam. e corr. 31, 10. ut aureis. 34, 16. hinc posuisse. II. Od. 2, 7. agit penna. 3, 28. Exitium impositura. 9, 22. vertere vertices. 12, 2. dirum v. l. durum. 14, 24. Vita brevem. 19, 5. Heu hoe. 20, 13. notior Icaro (sic Ment. Lips. 1.) III. Od. 3, 11. Augustus residens. 4, 11. nutricis, v. l. altricis. 5, 54. Disjudicata. 6, 22. artubus. 9, 5. aliam magis. 14, 12. male ominatis. 17, 13. dum potis. 18, 1. fugientium. 12. pagus (ad marg. v. l. pardus, eadem manu. item in Graev.) 25, 2. quae in nemora. 26, 7. et vestes (sic Ment.) 27, 28. cornua monstri. (sic Graev. et Ment.) 71. tibi visus. (sic Ment.) 28, 6. et veluti (sic Ment.) 29, 21. grege languida. IV. Od. 1, 20. trabe cyprea. 28. quatiunt.

36) **Lps. 1.** Codex 1. bibliothecae Senatoriae Lipsiensis saec. XI. membranaceus in Fol. mediocri. Rep. 1. nr. 6. Decripsit eum Naumannus in *Catologo librorum msctorum biblioth. Senat. Lips. Grimae* 1838. 4. p. 13. nr. XXXIX. et ante ipsum G. H. Martini apud Janium in proleg. Ed. Carminum T. I. p. XII. non satis perite, ut qui vetustissimum hunc librum ad saec. XIII. aut XIV. referat. Lectionibus inde excerptis Janius in Ed. Carminum, Obbarius in Epist., nos olim in Ed. Satir. T. I. (v. praef. p. C.) sub tit. Cod. Lips. 1. usi sumus, postero tempore ipsi et hunc cod. et reliquos Lipsienses diligenter perlustravimus et contulimus. Hic liber, in praestantioribus habendus, cujus in fronte titulus inscriptus: *Opa Oracy: item poetria:* 110 foliis Horatii opera omnia continet, hoc ordine: Carminum libros IV. Epodon lib. Carm. saec. Artem poet. Sermonum libr. II. Epistolarum libr. II. In membrana tenui magis quam crassa, satis alba laevique plane, accurate luculenterque scriptus, una eademque manu, atramento paene fusco. Duabus partibus constat, quarum prior usque ad fol. 35, b. Lyrica complexa in singulis paginis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

duplices habet versuum columnas; altera, Artem poet. Sermones et Epist. continens, simplices habet; sed folia nonnulla non justo ordine ligata. Scripti sunt versus inter lineas transversas per totum codicem in singulis paginis **28.** stilo acuto ductas et impressas, ita ut versuum ordo linearum ductum etiam in pagina quaque aversa stili acie expressum sequatur. Stigmata linearum in marginibus extremis apparent. Columnae versuum utrimque binis lineis perpendicularibus inclusae, inter quas litterae versuum initiales scriptura majuscula s. semunicali eodem quo versus ipsi atramento scriptae, sed in primis decem foliis pigmento aliquo, modo rubro, modo argenteo, notatae. Litterae eclogarum initiales per totum codicem majores s. unciales minio simpliciter pictae. T i t u l i in Carminibus minio superscripti litteris semuncialibus modo in primis quinque foliis Od. I, **1 — 17** exstant, in reliquis omnino omissi, praeterquam in Od. II, **1 — 4.** a posteriore manu. In Satiris et Epistolis omnino desunt; modo Ars poet. inscribitur: *Incipit liber poetriae.* — S c h o l i a e t g l o s s a e in Lyricis fere nullae aut perpaucae; in Satiris et Epistolis satis multae additae plane mundeque scriptae eodem fere quo textus atramento, antiqua etiam manu; nonnulla modo a recentiore manu saec. XV. et XVI. additae, partim viridi pigmento. Sed eae omnes non magni habendae, quod verba et sententias modo explicant, subtilioris doctrinae nihil habent. — S c r i p t u r a munda, accurata et aequalis minusculam refert Romanam mediocriter pinguem, non Gothicam (quae saec. XII. demum excoli coepit) sed jam aliquanto magis angulosam quam saec. X., et certissimis documentis hunc codicem saeculo XI. scriptum esse declarat. Litterae b, d, f, h, l, ſ, supra lineam longius productae et in apice unco brevi instructae, quod illi saeculo fere proprium est; d plerumque, ꝺ rarius, (quod saec. XI. usurpari coeptum); r ubique, non ꝛ, ſ longum ubique, et in fine vocum, sed s passim in vocalibus superscriptum. v pro u modo initio vocum (vue, vbi, vno), c plerumque pro z (cona, gaca). Litt. e in capitulo lineolam productam servat, quae species vetustissima usque ad finem saec. XI mansit. ı semper; í, íí vel i nusquam; e vel ę pro a e plerumque; a e, æ rarius (æquor), sed a e passim pro e (Thaebaneque); o e rarius (poenus, poena) e plerumque (phebi, preliis) vel ę (męnia). S i g l a e t c o m p e n d i a s c r i p t u r a e haud ita multa et simplicia. ı in consonantibus saepe superscriptum: c c o n (nusquam ɔ vel 9) ẽ e s t (non ÷ vel ÷) & pro e t, initio, medio, fine vocum (&ruscum, revis&, ur&) vetustissimo usu usque ad saec. XII; cetera mittimus. — D i s t i n c t i o n i s s i g n a pauca; punctum majus (.) vel minus (·) semicolon (;) interrogandi signum (~). — O r t h o g r a p h i a v o c u m in plerisque antiqua: J u p p i t e r, c a e l u m, f o e n u s, n e g l e g o, u t c u m q u e, n u m q u a m; sed q u i c q u i d, d i i, d i i s, M e c e n a s, passim M o e c e n a s; i pro y, c pro t frequenter (M i t i l i n e, L i c i a s, l i r a, p i t h i u s, t i r a n n u s, v i c i u m, p a c i e n s) litterae l, s, t haud raro duplicatae (i n s o l l e n s, q u e r e l l i s, t o l l e r a r e, d e s s i n e, C e s s a r i s, i n m i t t i s, A p p o l l o quoque). Italici oris quaedam sunt, (m i c h i, n i c h i l, haud raro; s c h i l l a pro Scylla, s c h e n i s pro scenis in A. p.) ut codicem in Italia scriptum putem. Accusativi III. decl. in i s rarius et plerumque a **2.** m. correcti. — L e c t i o hujus libri plerumque bona et recta vetustiorum codicum; sed in scriptura tamen haud pauca habet menda ac vitia, praecipue in Epodis, et librarium minus eruditum prodit. In nonnullis carminibus notarum musicarum signa in vocibus superscripta esse videntur, ut III. Od. 9. et **13.** Singulas ex hoc codice lectiones afferre supersedemus, quas Janii Editio in Carminibus et nostra in Satiris et Obbarii in Epistolis satis multas afferunt.

**37) Lps. 2.** C o d e x **2.** b i b l i o t h e c a e S e n a t o r i a e L i p s i e n s i s saec. X. membran. in 4to maj. Rep. I. **4. 38.** Notitiam ejus dedit Naumannus in Catalogo librorum mss. bibl. Sen. Lips. p. **14.** nr. XLI. et ante eum paucis descripsit G. H. Martini apud Janium in praef. Ed.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Carminum T. I. p. XIII. qui pravo judicio hunc codicem in vetustissimis ac praestantissimis habendum ad saec. XII. aut XIII. retulit; modo hoc recte vidit, ceteris Lipsiensibus esse antiquiorem. Janii designationem Lips. 2. nos in Satirarum Ed. servavimus et Obbarius in Epist. — Hic liber, cujus externa species horridior, tegumentis coriaceis valde rudibus et vetustis, 115 foliis constat, primo deficiente, ut incipiat ab Od. I, 2, 38. Hinc opera Horatii omnia continet, hoc ordine in vetustissimis modo codicibus servato: Odarum libros IV. Artem poet. Epodon lib. Carmen saec. Epistolarum libros II. Sermonum libros II. Sed folia confusius ligata; nam fol. 80 — 87 (Sat. II, 2, 102 — Sat. 5, 92) inter folia 109 — 110 inserenda sunt. Scriptus est liber in membrana satis crassa nec admodum munda, sed sordidiore, multis locis etiam inquinatiore, manu fere eadem per totum codicem, modo nonnullis locis, ut videtur mutata, velut I. Od. 12 et 13, atramento non ubique aequali, in primis 39 foliis pallidiore et paene fusco, in sequentibus magis nigrescente. Paginae omnes simplices habent versuum columnas. Versus in singulis paginis 34, scripti inter lineas transversas per totum codicem stilo acuto ductas, ut in paginis aversis quoque expressae appareant, utrimque binis lineis perpendicularibus inclusas, inter quas litterae initiales versuum scriptura majuscula s. semunciali alternis, tum atramento tum minio pictae, sed proxime conjunctae cum litteris sequentibus, non distantes ab iis, ut in plerisque libris mss. Litterae eclogarum initiales per totum codicem majores s. capitales variis coloribus pictae, passim etiam sigillis quibusdam rudi artificio expressae, sed ut cura ornandique studium ubique appareat. Tituli in omnibus fere eclogis a posteriore manu minio inscripti, litteris plerumque minusculis, sed aliquanto majoribus, in Carminibus nil nisi metrum indicant, ex. gr. *Metrum Saphicum. s. Metrum duobus versibus Alcaicum.* — Scholia et glossae perpaucae in Epistolis et Satiris passim additae, parvi aestimandae. In Lyricis prorsus absunt. — Scriptura hujus codicis non elegans illa quidem et nitida, ut in codd. Mor. et Tur., sed recta, plana et explicata, cum tota indole, tum singulis quibusdam indiciis saeculi X. manum certissime prodit. Litterarum ductus rotundi magis quam angulosi normam scribendi nondum ita explicatam firmiterque constitutam ut posteriore aetate prae se ferunt. Litterae b. d. f. h. l. ſ. ct. st. supra lineam paulo longius productae, sed r et ſ etiam infra lineam, more illius saeculi, descendunt. d, r, ſ ubique, nusquam ꝺ, ꝛ, s. modo majus S passim in fine vocum (telluS, retrorsuS). Litt. e in capitulo lineolam productam servat, more vetustissimo. ı ubique, í, íí, i nusquam. Certissimum autem saeculi X. documentum (si cum ceteris jungas) creberrimus est diphthongorum ae et oe cum siglo æ usus, qui jam insequenti saeculo in ę vel e transiit. Legitur enim frequentius Caesar, caelum, Maecenas (et Mecenas), saeuus, aequor, aes, laetus, Lyaeo, Troiae, siluae, vitae, hæc, quæ, quæro, palmæ etc. proelia, moenia, Poenus, foetus, loetum etc. ut tamen ę et e pro ae, oe, antiquissimo more, non desint. — Sigla et compendia scribendi simplicia et vetustiora sunt. i frequenter superscriptum (mͥ, tͥ, mihi, tibi) m, n lineola recta significantur (ā, ī, ū, n̄c, am, im, um, nunc) us et ur curva (m̂, t̂, t̂, mus, tus, tur) c̃ significat con (nusquam ɔ vel 9) ē est (rarius ÷ pro est, antiquo tamen usu) z sign. et, frequentius &, initio, medio, fine vocum (&iam, r&inet, lat&). — Distinctionis signa pauca, punctum maius (.) vel minus (·) semicolon (;) interrogandi signum (?) sed plurima a posteriore manu addita. — Orthographia vocum proba et antiqua, plerumque ut in Dess. 1. Juppiter, caelum, milia, baca, belua, sucus, quicquid, quicquam, nequiquam, umquam, numquam, quicumque, vultus, sumptus, obicit, di, dis, deicit, Bais, percontor, cett. Praecipue nominum propriorum recta plerumque scriptio, rara in libris mss., laudanda. d passim pro t (capud, velud)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ae pro e (praecium, Lalagae) quod in vetustioribus haud raro usu venit. Accus. III. declin. in is satis frequentes, sed passim correcti. Lectio huius codicis ex antiquiore etiam optimae notae exemplari profecta, pura plerumque, recta et emendata, librarium prodit doctum et diligentem , ut huic reverendae vetustatis libro non modo primus inter laudabiles hos codices Lipsienses locus, sed omnino plurimum auctoritatis inter praestantiores lectionis Horatianae fontes tribuendum sit. Cod. Lips. **1.** cum hoc altero plurimum convenit, etiam singularia quaedam cum eo communia habet, velut I. Sat. **10.** v. **83** ante **82** in utroque, sed in **L. 1.** litteris adscriptis ordo restitutus. II. Sat. **3.** v. **263. 64.** et **70.** in utroque omissi et in summo margine adscripti sunt. ibid. v. **315.** lectio ibi effugit in utroque, correcta a **1.** m. in L. **1.**, a **2.** m. L. **2.** v. **319.** non si te rupperis, in utroque, ut cognationis aliquid inter hos codd. intercedere videatur. Singulos ex eo locos afferre non magis quam ex Lips. **1.** opus esse duximus.

38) **Lps. 3, a.** Codex **3**, a. bibliothecae Senatoriae Lipsiensis saec. XII. membran. in Fol. mai. Rep. I. fol. **4.** Notitiam eius dedit Naumannus in Catalogo librorum mss. bibl. Sen. Lips. p. **4.** no. XL. Liber Janio haud cognitus. Lectionibus inde excerptis nos usi sumus in ed. Satirarum sub tit. Lips. **3.** et Obbarius in Epist. Sed quoniam Jani in Ed. Odarum sequentem codicem **39.** (XLII ap. Naumann.) tit. Lips. **3.** designavit, nos nunc, ut iusta distinctio fiat, illum tit. Lips. **3**, a. hunc Lips. **3**, b. notavimus. — Hunc codicem omnium splendissimum in membrana grandi, nitida satisque alba ac laevigata summa cum cura atque diligentia exaratum vel regis vel principis alicuius vel divitis abbatis iussu et sumtu puto esse confectum, ideoque ex selectissimo quodam ac praestantissimo exemplari transcriptum. Splendide ligatus fuit, tegumentis corio badio obductis, impressis ex auro figuris cum insigni Electorali Saxonico, frontibus inauratis; sed usu nunc valde trita est eius vestis. Fuit olim monasterii „St. Johannis Baptistae Magdeburch", ut prima pagina in fronte docet. Constat foliis **184**, quibus continentur: a) Salustii Catilina et Jugurtha. fol. **1 — 45.** — b) Horatii opera cum scholiis et glossis fol. **46 — 104.** hoc ordine: Odarum libri IV. Epodon lib. Carm. saec. Ars poet. Epistolarum libri II. Sermonum libri II. deficiente uno fol. Sat. I, **3**, v. **4 — 140.** In ultima Salustii pagina praemissa est brevior illa Horatii Vita, cujus initium hoc est: *Horatius Flaccus libertino patre natus in Apulia.* cett. de qua iu nota **5.** ad Lips. **4.** agemus. — c) Lucani Pharsalia cum scholiis fol. **104 — 163.** usque ad ultimum ipsius versum integra, eadem antiqua manu. — d) Martiani Capellae opus: De nuptiis philologiae et Mercurii fol. **103 — 184.** eadem manu luculentissime scriptum. Paginarum margo exterior tertiam earum partem obtinens plenissimos Scholiastae veteris commentarios ad hoc opus habet minutis litteris accuratissime scriptos, iisdem scripturae siglis et compendiis quae in textu insunt, unde pari cum ipso aetate esse colligitur. Ultima libri pagina mirificam habet orbis terrarum figuram calamo et atramento descriptam, quam Naumannus in Catalogo depictam exhibuit. — Horatii opera in geminis omnium paginarum columnis scripta sunt, versibus **34** inter lineas stilo impressas easque per singulas tantum columnas, non per medium inter eas spatium ductas. Modo summa et ima pagina binas habet transversas per totam latitudinem lineas, qui mos ante saec. XI. non reperitur. Sed lineis perpendicularibus et spatia inter columnas separantur, et geminis utrimque litterae versuum initiales includuntur, omnes atramento scriptae. Tituli autem librorum et litterae eclogarum initiales minio simpliciter pictae, capitali scriptura, sine ornamentis: eclogarum tituli (cum cod. Leid. saepe convenientes) item minio scripti, uncialibus litteris. — Ad margines hic codex permulta habet scholia, minutissimis litteris plane et luculenter scripta, non eodem quo textus atramento, sed fusco magis, nec eadem manu, ut videtur, sed certe saec. XII. antiquis-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sima. Haec scholia docta plerumque et cognitu digna, ex Acronis commentariis maxime excerpta, quaedam habent cum Cruquii scholiaste convenientia, nonnulla etiam propria, vel pleniora, quam reliqui scholiastae, vel nova prorsus, de quibus in altera Disput. agemus. Sed modo Lyrica scholiis instructa; in Satiris et Epistolis desunt, quae glossis inter lineas scriptis passim illustrantur. — Scriptura hujus codicis plana, aequabilis, munda ac luculenta, litteris grandioribus ac pinguioribus, atramento sepiae ex fusco nigricante, passim rubescente, cum tota indole, tum singulis indiciis saeculi XII. priorem partem declarat. Superioris quidem saeculi indicia alibi observata desunt. Litterae b. d. f. h. l. ſ mediocriter supra lineam productae, non infra eam descendunt; d et ∂ jam promiscue; jam ꝛ pro r apparet, quod ante saec. XII. non fit, sed modo in fine vocum (memoꝛ); ſ longum ubique, sed s rotundum in fine vocum paululum elatum (grege^s, lene^s, virgine^s); ı ubique, í, íí, i nusquam. e vel ę plerumque pro ae; sed ae tamen et æ siglum satis frequenter reperiuntur (tubae, caesaris, caelum, aes, aetas, troiæ, helenæ) ae passim pro e (capraee, feriaemus, aequos pro equos) oe fere servatum (moestus, poeno) raro per e (menia), y puncto ubique notatum (ẏ). v conson. jam apparet, sed rarius (olivum, ver). Sigla et compendia scripturae antiqua plerumque et nota. c̃ con (nusquam ɔ vel 9) ẽ vel ÷ est; & pro et, initio, medio, fine vocum (&hnen, p&et, man&) vetustissimo usu, qui ad saec. XII. medium vix duravit. — Distinctionis signa quae in Lips. 1. — Orthographia vocum vetustam rationem plerumque servat: Juppiter, caelum, Maecenas et Mecenas, milia, quicumque, baca, belua, sucus, nequiquam, percontor, inmanis, inmensus, inbecillus, sumptus, quociens, obicit, deicit, bais; sed dii, diis, imperii; d interdum pro t (capud, reliquid); accusativi III. decl. in is in hoc codice frequentius usurpati, quam in ceteris plerisque. — Lectio in hoc codice religiosa cum fide scripto, licet singulis vitiis non vacet nec ad codicis Lips. 2. integritatem accedat, recta tamen plerumque, bona et emendata, ex vetusto aliquo probatae fidei exemplari ducta esse videtur et singularia pauca offert (ut I. Od. 12, 21. neque te transibo cum Dess. I. et II. Ep. 2, 202. Non tamen adversis navem deducimus austris: sed ex rasura). Plura addere supersedemus. —

39) **Lps. 3, b.** Codex 3. bibliothecae Senatoriae Lipsiensis, saec. XIV. membran. in 4to maj. Rep. I. 4, 39. Notitiam ejus dedit Naumannus in Catalogo librorum mss. bibl. Sen. Lips. p. 15 nr. XLII. et ante ipsum paucis, non satis plene et recte descripsit G. H. Martini ap. Janium in prolegg. T. 1. p. XIII. qui titulo Lips. 3. eum designavit. Hic liber corio satis trito tectus 83 foliis constat, quorum prior pars fol. 1—65. Horatii carmina continet, hoc ordine: Odarum libros IV. Epodon lib. Carmen saec. Altera pars fol. 66—83 exhibet miseros poetae cujusdam recentioris Elegos, sermones inter duos clericos Gaufridum et Aprilem de urbe Roma, ejus opibus, de Papa et curia papali, de rebus omnibus argento ibi venalibus habitos, taediosae loquacitatis plenos et indignos fere nitida scriptura litterisque Elegorum initialibus minio ac caeruleo colore artificiose pictis. Subscriptus est huic operi titulus: *Explicit Chronica Gaufridi*, quod Gaufridus narrans inducitur. Plura v. ap. Naumannum l. c. — Hic liber olim Nic. Heinsii fuit. In prima pagina legitur: *Ex bibliotheca Nic. Heinsii, Dan. filii, Lugd. Batav. MDCLXXXIII. Fridericus Benedictus Carpzovius hunc sibi codicem comparavit.* Codex in candidissima et laevigata membrana nitidissime scriptus, scriptura minuscula Gothica quae dicitur litteris minutioribus iisque satis pinguibus et aequalibus inter se bene et accurate expressis, non sepia sed atramento vulgari pictis, versibus scriptis inter lineas transversas in singulis paginis fusco pigmento ductas, utrimque terminatas lineis perpendicularibus ad laevam ternis, ut binae columnae efficiantur, in quarum priore litterae

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

initiales inclusae, ad dextram linea simplici. In summo et imo margine linea transversa per totam paginam ducta. Litterae omnes, in Horatii quidem carminibus, atramento, non minio vel alio colore pictae. Versuum columnae simplices per totum codicem; tricenos fere singulae paginae continent. — Tituli singulis eclogis ad marginem additi sunt minutissima scriptura a vetusta manu, non omnibus, sed modo lib. I. c. 1 — 29. et lib. III, c. 17 — 21; in reliquis omnino desunt. — Paucissima in hoc codice carmina, lib. I. c. 28 et 35. lib. II. c. 9 et 10., glossis et scholiis aliquot instructa sunt, sententias modo explicantibus, nullius pretii. — Hunc librum saeculo XIV. non antiquiorem esse, cum tota scripturae indoles ac facies, tum singula indicia declarant. Litterae majores s. unciales mirum in modum variatae, minores acutae et angulosae morem illius saeculi prae se ferunt, praecipue d. g. ꝛ. s. ʒ. Litt. e pro ae, oe perpetuo; i purum plerumque, accentu saepe notatum, í, puncto nusquam nisi in prima pagina aliquoties, a 2. m. ð ubique (nusquam d) ꝛ pro r frequenter; ɔ pro con et us in fine vocum (bobɔ), ⁊ pro et (& nusquam). Praeterea lineae coloratae usum aetatis illius, saeculo XIII. primum inductum produnt. Sed ut saeculo XIV. potius quam saec. XV. hunc codicem attribuamus, et tota ejus indoles a saec. XV. more omnino diversa et singula observata nos monent. Ceterum non una eademque manu sed duabus variis hic liber scriptus est: nam priores paginas nitidissime scriptas subsequitur a fol. 13. Od. I, 29 v. 10. manus minus exercita minusque elegans, sed aliquanto doctior et emendatior. Nam prior illa pars a librario stupido et imperito scripta innumera habet vitia in vocibus vel prave scriptis vel temere omissis vel additis vel transpositis, ut I, 3, 16. seu tollere ponere. 4, 17. plutonia domus exilis. 6, 11. campus larissae. 9, 16. sperne tu puer. 19, 13. hic mihi vivum cespitem. 21, 13. duos ex uno versus facit: Hic miseram famem Hic bellum lacrimosum. adeo I, 16 extr. argumentum sequentis carminis: „quam invitat in fundum suum" pro versu additur. In altera parte, a c. I, 29. pravam illius aevi in vocibus scribendis consuetudinem si minus urgemus, ipsa lectio multo rectior et purior est. Prava illa consuetudo praecipue cernitur in litteris ae, e, i, y, f, ph, c, t, d, t temere inter se permutatis (lide, pirre, cipri, sydus, ryxa, yecur, phas atque nephas, vicium, velud, capud), littera h temere addita vel omissa (yems, edus, holus, harena, hora pro ora) consonantibus vel duplicatis vel omissis (curricullo, sarcullo, vella, nillus, occio, pocullo, paladis, stela, pelite etc. Singularia quaedam codicem in Italia scriptum arguunt, velut michi, nichil, cechubum (pro caecubum), schafae (pro scaphae) o pro u frequenter inductum, ut plombum, mondus, verecondum, rotondum, fonde, iracondior. — Orthographiae ratio plerumque recentior, velut: autor, littus, Appulus, thura, solicitus, mistus, pulcer, pulcra cett. — Interpunctio rarissima. In fine eclogarum saepe semicolon (;) additum. — Ex hujus codicis lectionibus nonnullas hic afferre placet. I. Od. 1, 5. palmaque nobiles. 7. Hunc si nobilium. 3, 36. Perrupitque Acheronta. 37. ardui est. 17, 12. Vallis et usticae. 26, 10. Possunt honores. 28, 17. torvo ad spectacula. 31. forsan. 33. inultus. 35, 34. dira refugimus. II. Od. 4, 20. patre pudendo. 7, 15. in bellum resolvens. 14, 5. quotquot erunt dies. 16, 5. bellis furiosa. 22. relinquet. III. Od. 4, 5. Auditus, an me. IV, 1, 30. animi nuncia mutui. Epod. 9, 11. Romanus heu heu. 15, 5. extenditur ilex. 17, 67. obligatus alite.

40) **Lps. 4.** Codex bibliothecae Senatoriae Lipsiensis, saec. XV. chartaceus in 4to. Rep. I. 4. 40. Notitiam ejus dedit Naumannus in Catal. p. 15. nr. XLIII. et ante ipsum paucis leviter descripsit G. H. Martini apud Janium in proleg. T. I. p. XIV. qui titulo Lips. 4. eum designavit. Hic codex, olim Jo. Chr. Wagenseilii, cujus insigne in fronte habet, 82



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

foliis constans, praeter ultima sex vacua, continet Horatii Odarum libros IV. Epodon lib. Carmen saec. In appendice fol. **79**—**82** subjectae sunt duae Horatii vitae, cum metrorum Hor. descriptione, de quibus in nota agemus.[5]) Hunclibrum saeculi XV. altero dimidio scriptum esse, varia signa in ipsis chartis insita manifesto declarant. Nam crucis insigne, quod apud Naumannum in Catalogo bibl. Sen. Lips. tab. IX. depictum anno **1460** tribuitur, in fol. **3. 7. 29.** inest, librae insigne, ibidem ad a. **1461** relatum, in fol. **67. 70. 75.** caput taurinum denique, unde virga stellata escendit, anni **1466.** in multis foliis reperitur (**11. 14. 17. 20. 31. 32. 34. 36. 39. 40. 42.** cett.) Ergo de ejus aetate post annum **1466** dubitari nequit. Neque de patria. Nam litterarum ductus macri ac tenues, litteris b. d. f. h. g. l. p. vel supra vel infra lineam longe extractis, scripturae compendiis multis parumque concinnis et accuratis, recentiorem manum Italicam produnt, quod Martinius recte vidit, nec eam vel doctam vel diligentem. Accedit os Italicum in scriptione vocum michi, nichil, quom, rotondus cett. Atramentum vulgare et pallidius. Versuum columnae in cunctis paginis simplices. Scripti sunt inter lineas transversas fere **24** in quaque pagina fusco colore ductas utrimque linea perpendiculari terminatas, eaque duplici ad laevam, qua litterae initiales includuntur. Glossae nonnullae passim inter lineas adscriptae. Tituli eclogis singulis rarius additi. In fine Epodon haec leguntur: *Quinti horatii flachi liber secundus et ultimus Epodon Explicit. Hi duo libri sunt ex versibus* 682.“ — Orthographia vocum perquam vitiosa. Litterae haud raro temere additae vel omissae vel duplicatae: semptem (septem) complensti (complesti) fillo (filius) quinque (quique) nephas, nobillis, vella, Cessaris (Caesaris) cellum (caelum) tallis, perfussus, fellix, nebulle, cett. — Interpunctio rarissima et subtilis. Commatis primum vestigium in hoc codice apparet: qui res hominum' ac deorum'. — Lectio plerumque corruptissima librarium et imperitissimum et negligentissimum prodit. Verba saepissime vel omissa vel transposita (ut I. O. I, **16.** et opidi otium. **17, 23.** confundet cum Marte.) Glossae passim in textum illatae, ut II, O. **10, 20.** arcum tendit Apollo Remittit plerumque. — Nihilo secius hic codex lectiones singulares et memorabiles haud paucas offert, v. c. I. O. **1, 2.** O et praesidium, dulce d. m. **7.** nobilium. **8.** certet. **4, 12.** agnam—edos. **5, 14.** indicat humida. **14, 13.** iactes tu generis nomen. **15, 9.** Heus, heus. quantus. **26, 10.** Possunt honores. II, O. **1, 26.** inulta excesserat. **11, 10.** luna nitens rubet **17, 6.** quid moror alteram. **20, 2.** per liquidum aera. III. O. **5, 44.** viriles-vultus. **7, 5.** jactus ad Oricum. **11, 10.** Ludit exultans. **20, 13.** recreasse vento. **24, 22.** alterius thori. **57.** seu mavis. **25, 19.** Te Lenaee. **27, 12.** Lucis ab ortu. **29, 50.** ludere pervicax. **30, 10.** perstrepit Aufidus. **13.** Jonium carmen. IV. Od. **11, 9.** festinant manus. Epod. **2, 44.** sub adventu viri. **5, 46.** lumenque caelo. **47.** Hinc inresectum. **65.** munus infectum. **12, 2.** Munera quid mihi curve tab. **16, 57.** Non hic Argivo. **17, 36.** Qui finis. **64.** suppetas cruciatibus.

---

5) Harum Vitarum priorem quamvis insulsam et a stupido aliquo monacho profectam, tamen ut nondum cognitam hic vulgabimus. Alteram Vitam, cujus exordium est: Q. *Horatius Flaccus praecone patre natus* etc. (de qua paulo post agemus) subsequitur *Metrorum Horatianorum descriptio* eadem, quae apud Alex. Minutianum in Ed. Mediol. 1486 hanc vitam excipit et quam Jac. Cruquius e codd. Blandd. in fine Editionis exhibuit. Eandem in codice Monac. 1. extremo reperimus et utramque cum textu Cruquiano contulimus. Prior autem illa Vita difficillima lectu propter pravam et vitiosam scripturam, haec est:

„*Explicit opus divini flacci venusini viri ebriosissimi libidinosi epicurei voluptuosissimi lippi sanguinosis oculis propter eximiam ebrietatem. miri ingenii expeditissimi non ignobillis philosophi. Militis transiit melioris vitam ut tribunus militum fuerit sub bruto civili bello. incoluit tibure dono mecenatis. legationes et mecena-*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

41) **Ment.** Lectiones codicis Menteliani Lipsienses. Sic designare nobis liceat ex ipso loco lectiones sub titulo codicis Menteliani a Chr. Dav. Janio in ed. Carminum, a nobis in Ed. Satirarum, ab Obbario in Ed. Epistolarum saepe laudatas. Res sic se habet. In bibliotheca academica Lipsiensi sub titulo *Poëtae Lat.* **510.** servatur exemplum editionis Desprezianae (Amstelod. **1695.** 8.) in quo recentior manus lectionis varietatem ex codice Menteliano olim a Marquardo Gudio excerptam (nato a. **1635.** mortuo a. **1689.**) et in Ed. Mureti

---

*tis secutus est ut etiam ipse in epistolis commemorat cum virgilio in apuliam se profectum. Scripsit librum sermonum. de arte poetica, libros autem plures carminum liricorum et epodos insectavit.*"

Hanc vitam earum, quae adhuc cognitae sunt, septimam numeramus. Primam, quae Suetonio tribuitur, satis notam: „*Qu. Horatius Flaccus Venusinus.*" quam ex codice bibliothecae S. Petri in monte Blandinio Gandavi Petr. Nannius Miscellan. L. III. c. 2. vulgavit (apud Gruterum in Lampade s. Thesauro critico T. I. p. 1261. sq.) post Muretus ex eodem codice, ut videtur, a Bernard. Lauredano acceptam editioni suae a. 1555 (et 1559) praeposuit, dein Cruquius in fine editionis suae repetiit, unde in libros post editos venit. Hanc vitam nos in codice Monacensi 1. Horatii scriptis subjectam reperimus, sed eam non plenam, deficiente media fere parte. — Alteram, cujus initium est: „*Qu. Horatius Flaccus libertino patre natus in Apulia,*" Alex. Minutianus in Ed. Mediol. 1486. ut Acronis commentario praepositam ex codice mscto vulgavit („*Acronis Commentatoris egregii in Quinti Horatii Flacci Venusini opera expositio incipit: Horatius Flaccus libertino patre natus,* cett.) post Mich. Bentinus e codice ab Jo. Sichardo accepto in Ed. Basil. 1527. in extrema parte paululum ab illa diversam edidit, unde et Ge. Fabricius ed. Basil. 1555. in fine praefationis eam repetivit et Theod. Poelmannus in Ed. Antverp. 1557. p. 5. denuo expressit, licet „*ex vetusto quodam exemplari descriptam*" dicat: nam cum Basil. 1527 ex omni parte ad verbum convenit. Eandem Henr. Stephanus, paucis mutatis, editioni suae subjecit; deinde Jac. Cruquius e codice Blandinio vetustissimo eam denuo edi curavit, unde in recentiores libros, Gesneri, Janii, Mitscherlichii, Feae (e cod. Vat. Reg. H. praef. p. XXXV.) al. transiit. Eandem nos in pluribus codicibus msctis vel praepositam operibus Horat. vel postpositam invenimus, lectionis varietate, praeterquam in fine, non multum a vulgato textu aberrantem. a) in codice Bernensi a., omnium antiquissimo. b) in codice Lips. 3, a. ante Hor. opera. c) in codice Monac. 1. extremo fol. 165. d) in codice Monac. 5. in prima pagina. e) in codice msto Guelph. ante Acronis commentarium primo loco positam. Ultimae hujus Vitae partis varietates, ut cognitu satis dignas, notabimus. Ac primum apud Cruq. ex cod. Bland. 1. legitur: *Scripsit autem Carminum libros IV. Epodon I. Carmen saeculare, Sermonum libros II, Epistolarum II. de Arte poetica I.* singulari ordine, a vetustis codicibus alieno, sed ab Henr. Stephano primum in Ed. suam recepto. In codice Bern. a. antiquo ordine servato legitur: *Scripsit autem Carminum libros IV. Carmen seculare. Epodon. de arte poetica librum I. Epistolarum lib. II. Sermonum lib II.* Et sic fere cod. Sichardi in Bas. 1527. nostri codices Lips. 3, a. Monac. 1. et 5. Acron msctus cum Ed. Mediol. 1486. sic legunt: *Scripsit autem Carminum libros quattuor. Epodon. Carmen saeculare. de arte poetica librum unum. Sermonum libros duos. Epistolarum libros duos.* Ed. Mediol. 1486. sic pergit: *Commentati in illum sunt Porphyrion. Modestus. Helenus.* Cruquii codex: *Commentati sunt in illum Porphyrion. Modestus. Helenius Acron omnium autem optime Acron.* Sed Sichardi codex in Bas. 1527. solus legit et cum eo Poelmannus, Fabricius et Henr. Stephanus: *Commentati sunt illum Porphyrion. Modestus. J. Gelenius. Acron. omnium optime C. Aemilius.* Hinc ex hac unius codicis lectione interpretes, Fabricio Chemn. duce in praefat. ed Basil. 1555., novum sibi finxerunt Horatii scholiasten nusquam alibi memoratum, C. Aemilium, eumque, licet nullum ejus vestigium in commentariis veterum appareat, vel optimum omnium praedicarunt. Nec solum Jani in praef., Mitscherlich, al. sed adeo W. H. D. Suringar, diligens antiquitatis investigator, in libro: *Historia critica Scholiastarum Latinorum,* imponi sibi passus est hoc nomine, de quo T. III. c. 3. p. 86. pleno capite, non sine aliqua dubitatione egit. Sed nostrum esse putamus, totum hoc de C. Aemilio antiquo scholiaste commentum, ut ex prava unius codicis lectione ortum, msctorum veterum auctoritate convincere ac redarguere. Nam in codice omnium antiquissimo, Bern. a. legitur: *Commentati sunt in illum Porphyrion Modestus et Helenus Acron omnibus melius.* et in Acrone mscto Guelph. *Modestus Helenus et Acron omnibus melius.* unde librarii stupore in Sichardi codice ex copulatis lectionibus: *omnium optime Acron* et: *Acron omnibus melius.* facile oriri potuit illa lectio: *omnium optime C. Aemilius.* Sic etiam codices nostri optimi Monac. 1: *Helenus et Acron melius omnibus*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Veneta **1582** notatam, una cum var. lect. Ed. Vascosani Paris. (Carm. et Epod. **1545. 4.** Epist. **1549. 4.** Sermon. et A. poët. **1551. 4.**) et Jo. Morelli annotationibus ad Od. Lib. I. II. in hac ed. Vascos. inventis, satis plane et accurate ad marginem adscripsit. Primum igitur non ipsum M. Gudii scriptum, sed aliud inde depromtum habemus, quod num ex Veneta Marquardi ad hanc Desprezianam accommodatum a librario sit, equidem cum Obbario ad I. Ep. **2, 4.** addubito. Deinde in notis hujus libri msctis usurpandis summa cautio adhibenda est. Nam triplicis sunt generis: partim V. habent additum, ut Ed. Vascosani; partim Ms. additum, ut msc. Menteliani; partim purae sunt, nulla littera addita, passim etiam siglis *U* vel *δ.* notatae. Hoc tertium genus, (quod Janium et Obbarium fugit) ut suspectae fidei, ab illo altero asterisco distinguendum duximus, (Ment.*) quamquam et has notas propter lectiones quas afferunt, saepe novas ac singulares, ex aliquo libro mscto fluxisse putamus. — — De ipso autem codice Menteliano, qui fuerit, num hodie exstet atque idem sit, quem in bibliotheca Regia Parisiensi sub nr. **7972** servatum et Vanderbourg. in Ed. Carminum T. I. p. **394** sq. littera E. designatum sub titulo codicis olim Mentelliani descripsit et Pottierus in suis tertium numeravit, unde lectiones excerptas uterque more suo parum fideliter ac diligenter exhibuit, lubrica admodum et difficilis quaestio est, et sane dolendum, quod uterque cum librum hunc antiquissimum manibus tractaret, collationem illam Gudianam Menteliani codicis apud Janium, jam olim ab Jo. Alb. Fabricio in Bibliotheca Latina T. I. p. **409.** ed. Ern. memoratam, plane ignoravit, cum quatenus illa cum libro Parisiensi congrueret, facile ab his viris doctis erui potuisset. Marquardus quidem Gudius de mscto suo in prima pagina haec notavit: „*Ipsum Horatii msctum cujus*

---

*Acron.* et Mon. 5. *Modestus. Helenus. Melius tamen omnibus Acron.* Eodem certe jure Helenus s. Gelenius aliquis scholiastes exoriri potuerit. Quare C. Aemilium illum jam ex scholiastarum numero excludimus. — Tertiam Vitam numeramus eam, cujus initium est: *Q. Horatius Flaccus, praecone patre natus, libertinae conditionis:* excerptam ex prima illa, quae Suetonio tribuitur. Hanc vitam primum Alex. Minutianus in Ed. Mediol. 1486 ex codice mscto vulgavit; post eum Poelmannus in Ed. Antverp. 1557. exhibuit sub tit.: *Vita ejusdem ex antiquo codice Theodori Poelmanni Cranenburgensis descripta:* cum illa Minutiani in plerisque congruentem. Dein Jac. Cruquius eam ex codd. Blandiniis edidit, sed minus plenam et emendatam, unde in recentiores libros Janii, Mitscher. al. venit. Nuperrime Fea ex mss. Vr. H. et Vatic. saec. XV. (in quo praemittitur Acronis commentario) in praef. p. XXXVI. exhibuit aliquantum auctam. Nos eandem in codicis Monac. 1. prima pagina, in Acrone mscto Guelph. post alteram illam Vitam nec non in codice Lips. 4. extremo scriptam reperimus, in utroque cum illa Minutiani, praeter lectionis varietates nonnullas, plurimum convenientem. Nam et ultima hujus vitae pars fere ignota, quia apud Cruquium deest, in Ed. Mediol. 1486 et his nostris codicibus post verba: in satira Lucilium: sic legitur: *In principio carminis sui se Epicureum fatetur, cum beatum dicit pro voluptate* (voluntate *Mon. I.*) *viventem, ut Virg: Trahit sua quemque voluptas. Ergo illum beatum ponit, qui ex animi sui sententia facit quae vult: ita tamen ut hoc ipsum velle in parte honestatis versetur. Ipsa enim voluptas et summum bonum est.*" — Quartam Horatii vitam maximam partem ex ipsis ejus scriptis ductam, quorum versus haud pauci citantur, Fea primus exhibuit in Praef. pag. XXXVIII. in codicibus Vaticanis Ottobon. duobus saec. XV. et in Chisiano ante Porphyrionis commentarium repertam. Eandem nos in codice mscto Guelph. saec. XIV. Porphyrionis commentario praepositam invenimus, unde varias lectiones ad Feae textum hic exhibemus: Apud Feam p. XXXVIII. versu 5: cum parente migravit. Gph. v. 12. militiae tribunatu honoratus. Gph. v. 16. Caesari in amicitiam traditus (est +) Gph. v. 20. carmine prosecutus. Gph. pag. XXXIX. v. 1. Neu sinas Medos agitare inultos. Gph. v. 5. post: Artis poeticae unum. additur: Epodon unum. Gph. v. 6. secutus (est +) Gph. v. 8. Lucili ritum. Gph. — Quintam Horatii vitam paulo pleniorem et cognitu satis dignam nos in codice Berol. 2. nuper reperimus et in Quaestionibus Horatianis post praefat. edi curavimus. — Sextam Hor. vitam numeramus breviorem illam ex codice Gtg. 2. paulo ante in Nota 3. pag. 28. a nobis vulgatam. — Septimam denique dicimus hanc ex cod. Lips. 4. modo expressam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

*diversas lectiones ad marginem hujus libri notavimns, quique hodie* (*circa a.* **1660**) *apud Jac. Mentelium medicum Parisiensem servatur, aetatem* **600** *annorum excedere deprehendimus. Hunc tamen olim ipsius Lambini fuisse edocti sumus.*" Hujus rei notitiam Janius ex Fabricii libro l. c. nactus falsam esse ex locis aliquot cum Lambini commentariis collatis probare studuit. Nam I. Od. **28**, **6**. Ment.* legit: perculsisse polum, quam lectionem Lamb. ignorat (etiam Vand. et Pott.) I. O. **31**, **18**. Ment. at precor, ubi Lamb. modo notat: „Legendum autem et precor, non at precor." I. O. **37**, **28**. Ment.* pectore combiberet, quam lectionem Lamb. ignorat (etiam Vand. et Pott.) item II. O. **3**, **11**. Ment.* ramis quoque obliquo. Lamb. Vand. Pott. ignorant. I. O. **12**, **3**. Ment. legit: retinet iocosa (non recinet, ut Jani putat) quod nec Lamb. nec. Vand. aut Pott. indicavit. Certe qui codex ille ex Lambinianis fuisse potuerit, post Mentelii dictus, nec conjectura nec comparatis inter se plurium Hor. librorum lectionibus assequi nobis contigit. — Restat ut quaeramus, num Gudianus ille codex Jo. Jac. Mentelii, medici Parisiensis, vetustissimus, idem fuerit, qui sub codicis Mentelliani nomine Parisiis hodie servatur, laudatus et collatus a Vanderbourgio et Pottiero. Certe is in antiquissimis et praestantissimis a Vanderb. numeratur et saeculo X. tribuitur. Membranaceus est forma quadrata, et foliis **195**. omnia Horatii opera continet, hoc antiquo ordine: Odarum libros IV. Artem poet. Epodon lib. Carm. saec. Epistolarum libros II. Sermonum libros II. Scholiis et glossis ab initio in Lyricis largissime est instructus, rarioribus jam inde a libro III., in Epistolis et Satiris plane deficientibus. Gudiana quoque collatio ad omnia Hor. opera pertinet. Deinde qua re inprimis adducor, ut Gudianum exemplar idem illud Parisiense esse suspicer, famosa illa subscriptio Vettii Agorii consulis Romani est, quam post Epodos et ante Carmen saec. in exemplari suo Mentelliano repertam Vanderbourg. T. I. p. **395** plane iisdem verbis exhibuit, quae jam supra ex cod. Gothano **2**, b. p. **24**. a nobis allata Marqu. Gudius quoque in suo codice invenit. Haec enim ejus verba post Carmen saec. in libro Lipsiensi inscripta leguntur: *Ad finem L. Epod. Hor. in mscto Lambini haec verba legebantur: Q. Hor. Flac. Epodon explicit. Vettius Agorius Basilius Mavortius V. C. et inl. ex com. dom. ex cons. ord. Legi et ut potui emendavi conferente mihi Magistro felice Oratore urb. Rom.*" Haec ipsa ex suo codice Paris. dedit Vanderbourg. Sed omisit fortasse, quae sequuntur apud Gudium, convenientia cum iis quae ex cod. Gothano **2**, b. paulo plenius edidimus: „*Incip. Sclare carm. qd patri. ne. cantaver.* (i. e. Incipit saeculare carmen quod patri meo cantaveram) *ad chorum puellarumque.*" Haec sine dubio in codice Pariensi Vand. E. reperiet si quis accuratius inspexerit. Quare cum ipsum nomen codicis olim Mentelliani huic libro non temere inditum esse posset, haud fere dubitandum mihi esse videbatur, quin Gudianus ille liber vetustissimus Jac. Mentelii, medici Parisiensis, codex hic esset Mentellianus Vanderburgii. Sed postea quam lectiones Gudianas cum codicis Parisiensis E. apud Vanderb., **3**. apud Pottier. lectionibus ab his viris doctiss. vulgatis comparare coepimus, scrupulus denuo gravissimus de illius libri cum hoc Parisiensi convenientia nobis injectus est. Siquidem lectiones ex utroque allatae raro eaedem sunt, saepe etiam inter se dissident. Praeter locos supra allatos hosce pro exemplo contulimus: I. Od. **7**, **32**. Ment. peragrabimus aequor. non ap. Lamb. (qui multis agit de v. iterare) nec ap. Vand. et Pott. I, **12**, **9**. Ment. rabidos. **13**. parentis. utrumque in E. Vand. (nil ap. Pott.) ib. **15**. Ment. ac terras. (non ap. Vand. et Pott.) **31**. Ment.* sic di voluere (non ap. Vand. et Pott. falso Jani: quod sic voluere) **43**. Ment.* saeva al. magna (non ap. Vand. Pott. Jani omisit.) **46**. Ment. Martelli (non ap. Vand. Pott.) **57**. Ment.* laetum (non E. ap. Vand. sed alii). I. O. **20**, **3**. Ment. elevi. E. ap. Vand. **3** ap. Pott. et sex alii. **28**, **6**. Ment. Manet mors (non E. ap. Vand.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sed quatuor alii. nil ap. Pott.). **32**, **4**. Ment. udam al. uda. (non ap. Vand. Pott.) **35**, **20**. Ment. lividumque plumbum (non ap. Vand. Pott.) Epod. **1**, **10**. Ment. quem ferre. Vand. E. qua ferre. Epod. **2**, **31**. Ment. agris, al. acres. Item E. ap. Pott. Ex his, ut puto, intelligitur, consensum inter utriusque codicis lectiones collatas esse exiguum (qui in ipsa tamen Vand. et Pott. collatione desideratur); in eo modo consentiunt, quod uterque (si quidem duo sunt) licet reverendae vetustatis, multas tamen vitiosas lectiones, ut Vand. censet, imperiti librarii culpa, offert.

**42) Mon. 1.** Codex 1. bibliothecae Regiae Monacensis saec. XII. membranaceus in 4to sign. Nr. **375**. Foliis constat **169** et opera Horatii omnia continet, hoc antiquo ordine: Carminum libros IV. Artem poet. Epodon lib. Carm. saec. Epistolarum libros II. Sermonum libros II. quo ipso ex ordine hunc librum ex antiquissimo aliquo exemplari transscriptum esse, recte colligitur. Glossis inter lineas et scholiis antiquis in omni pagina ad marginem utrumque plenissime instructus. In prima pagina Vita illa praemittitur, cujus initium:. *Q Horatius Flacus, praecone patre natus.* In appendice fol. **164** averso altera Hor. Vita, Suetonio tributa, legitur, sed non plena, quam tertia illa Vita excipit, cujus initium est: *Q. Horatius Flaccus libertino patre natus in Apulia.* Subsequitur metrorum Horat. descriptio, eadem fere, quam in fine operis Cruquius olim ex cod. Blandinio exhibuit, et ante ipsum Alex. Minutianus in ed. Med. **1486** Carminibus praemisit. Nonnulla folia confuse ligata. In Serm. Lib. I. fol. **122**. **23**. **24**. inverso ordine debebant se excipere, item tria folia insequentia. — Hic codex corio badio tectus, scutulis quinis aeneis in utroque tegumento, in membrana satis crassa et rigida luculentissime et mundissime summa cum cura ac diligentia scriptus, cum tota specie, tum interna praestantia principis bibliotheca vere dignus. Interior tegumenti pagina habet insignia regni Bavarici in tabula expressa, hoc titulo supposito: *Ex Electorali bibliotheca Sereniss. Utriusque Bavariae ducum.* Columnae versuum omnes simplices. Versus viceni quini in singulis paginis inter lineas stilo ductas, quarum stigmata in extrema foliorum ora apparent, binis lineis perpendicularibus utrimque terminatas scripti, quibus litterae initiales includuntur, minio omnes notatae. Tituli breves in cunctis eclogis inditi eadem qua textus manu minio plerumque scripti. Litterae eclogarum initiales praecipueque librorum curiosius pictae variisque coloribus, passim figuris quoque ornatae sunt. In primae paginae margine inferiore feminae Aethiopis facies picta cernitur. Scholia ad marginem utrumque minio plerumque inclusa. Atramentum sepiae est, ex nigro fuscum. — Scriptura hujus codicis plana, accurata atque aequabilis, cum tota indole, tum singulis indiciis saeculi XII. priorem partem prodit et cum Lips. **3**, a. multum convenit. Litterae rectae et simpliciores angulosum Gothicae formae ductum nondum prae se ferunt; initiales scite saepe variatae. Litterae r. ſ. paululum etiam infra lineam descendunt, saeculi XI. usu. d et r et u ubique, nusquam ∂ vel ꝛ vel v. ſ longum ubique, etiam in fine vocum, s finale rarius et paululum elatum (rege^s) y puncto notatum, ut in Lips. **3**, a. ı ubique, í, íí, i nusquam. e vel ę pro ae et oe dipht. fere semper (in Odis tamen Maecenas plerumque). Sigla et compendia scripturae non multa et simplicia. ē pro est (non ÷) s̄. sunt. 7, & pro et, initio, medio, fine vocum, sed rarius (&iam, pud&); ſ; pro sed. b; b9 pro bus. 9 pro con singulari forma, frequenter. m^i, t^i, n^i, q^i, g^i, g^o, m^o. pro mihi, tibi, nisi, qui, igitur, ergo, modo, ut in aliis codd. — Distinctionis signa sunt: punctum frequentissime, etiam pro minore distinctione; colon (:) et semicolon (;) frequens: passim hoc signum (.~) pro commate; interrogandi signum hoc (.~). — Orthographia vocum antiquam plerumque rationem sequitur: Juppiter, milia, sucus, belua, bachus, tus,

tura, (sed bacca, semel bacis) litus, causa, Apulia, Apulus, mixtus, cena, obscenus, secuntur, ungor (et unguor), urget, artus, percontor, incolomis (semper) jocundus (in Epist. jucundus); quicquid plerumque (quidquid semel) quicquam, nequiquam; n ante q pro m plerumque: tanquam, unquam, nunquam, janque, tanque, utrunque, plerunque, tantundem, quenque, cunque (cumque in Odis) operumque; vol. pro vul. frequenter: parvola, Volcano, volgo, volgari, mavolt, salvum te volt; et Vulcanus, vulgus, vult, promiscue. d inter mn, ms, mt plerumque insertum: tempnit, dampnatus, (sed damno, damnum, contemno) temptat, sumptus, emptor, hiemps. littera j ante i plerumque elisa: obicit, inicit, deicere, proicere, abicito. h interdum temere additum vel omissum: holus, habunde, actenus, ortis (hortis); c passim pro t: vicia, inscicia, incuciat, ambicio; passim omissum: cuntetur, discintus; i et y saepe inter se commutatae: ymber, sydus, hyrcus, tygris, ciclops. Accusat. III declin. in is rarior: omnis, fontis, piscis, suavis, hostis cett. In litteris coalescentibus vocum cum praepos: ad, ob, sub, in compositarum nulla certa et constans ratio servata. —

Hunc codicem in Germania esse scriptum, adeoque ex antiquiore aliquo exemplo Germanicae originis expressum, antiqua verba Germanica glossis immixta declarant, quae Docenius V. cl. in libro: v. Aretins Beiträge zur Geschichte d. Litt. T. VII. p. **244**, hoc de codice agens, saeculo VIII. vel IX assignat. III. Od. **4**, **12**. palumbes: gl. columbae, *hegetubun*; item II. Sat. 8, **92**. I. Epist. **10**, **22**. inter varias nutritur silva columnas: gl. *wirtkehain*. **13**, **14**. glomos — lanae: gl. *cliuvueli*. **18**, **7**. se commendat: gl. *geluibet*. II. Ep. I, **114**. abrotanum gl. *sitteruvrl*. I. Sat. **3**, **44**. strabonem: gl. *scheldean*, *schihelenten*. ib. paetum. gl. leviter oculos declinantem: *winchougen*. **6**, **106**. mantica gl. *malaha*. ib. **117**. echinus. gl. *glasavaz*: salinum vitreum aut aeneum, echini figuram referens. **10**, **31**. natus mare citra gl. *disehalp meres*. II. Sat. **2**, **41**. obsonia gl. *zuomoise*. ib. **74**. turdis. gl. *brahuogele*. **3**, **245**. luscinias. gl. *nahtegelun*. 8, **10**. mensam acernam gl. de acerno factam, i. *malaltrine*. ib. **41**. muraena gl. *lantfrida*. ib. **91**. merulas gl. *amfsela*. —

Scholia per totum codicem copiosa ex Acronis et Porphyrionis commentariis excerpta et varie commixta sunt, ita ut nonnulla a grammatico qui vel huic libro vel exemplari unde fluxit, praefuit, ex ipsius copiis addita sint, citatis identidem Sacri Codicis scriptoribus et locis, sed ea tamen pleraque non magni aestimanda. Quaedam inde excerpta in Comm. II. dabimus. Glossae inter lineas ex scholiis maximam partem fluxerunt. Argumenta pleniora plerisque eclogis praeposita fere ex Acrone et Porphyrione sumta. Ceterum haec scholia et glossae, si non eadem manu, qua textus, certe antiqua saeculi XII. plane et explicate scripta. — Lectio hujus codicis religiosa cum fide confecti purissima plerumque et emendatissima est, ut ex optimae notae exemplari profecta. In Carminibus tamen librarius alio atque in Epistolis et Satiris codice videtur esse usus. Nam in his orthographia vocum non plane eadem atque in illis, ubi accusativi in is multo frequentiores, item o post v (volgus) etiam cumque, quicumque, umquam, numquam, sepulcrum: contra in hexametris cunque, unquam, nunquam, sepulchrum cett. — Ex variis hujus codicis lectionibus nonnullas hic offerimus. I. Od. **30**, **2**. Cypron invocantis. **35**, **33**. Heu, heu cicatricum. **39**. defingas. **37**, **10**. quodlibet. II. Od. 2, **5**. Vivat extento. 8, **2**. Varine. **12**, **24**. Arabum domus. **16**, **11**. circa tecta. III. Od. **10**, **19**. luminis aut aquae. **29**, **32**. trepidet. Epod 2, **33**. rara tetendit retia. **65**. divitis examen. **11**, **28**. aut teneri pueri (teretis superscr.) **14**, **3**. veluti ducentia. I. Sat. **1**, **72**. pictis-libellis. **97**. at usque. **2**, **57**. nil mihi inquit fuerit. **4**, **40**. concludere versus. **5**, **16**. multum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

prolutus. **10**, **77**. expulsa Arbustula. II. Sat. **1**, **65**. introrsus turpis. **2**, **7**. Verum haec impransi. **29**. quamvis distet: nil hac magis illa. **108**. fidet sibi. **3**, **4**. at ipsis. **156**. Quanti empta est. **4**, **4**. cum sic te tempore. **44**. fecundae leporis. **5**, **39**. persta ac perdura. **90**. offendit garrulus. I. Epist. **I**, **104**. stomacharis. gl. irasceris. II. Ep. **2**. **44**. ut vellem curvo. Ars p. **169**. incommoda, eo quod.

**43) Mon. 2.** Codex **2**. bibliothecae Regiae Monacensis saec. **XI**. membranac. in 4to sign. G. LXIX. olim monasterii St. Emerani Ratisbonae. Foliis constat **121**, quae continent: a) Salustii opera fol. **1 — 55**. b) Horatii opera omnia, fol. **56 — 106**. c) Bartholomaei Turonensis (?) carmen elegiacum de Tobia, ut videtur. Codex multo usu tritus et sordidus, litteris passim obscuratis et detersis, praecipue in Horatii primis et ultimis paginis. Membranae folia nec aequalia nec bene secta; omnino possessor usum magis quam elegantiam spectavit. Sed tamen antiquus probae notae codex et ex bono exemplari ductus. Horatii opera sic digesta sunt: Odarum libri IV. (in quibus lacuna inter fol. **73 — 74**, qua exciderunt Od. IV. **7**, **20**, sq. usque ad. Epod. **1**. v. **24**) Epodon lib. Carmen saec. Ars poet. Tum fol. **82**. **83**. fragmenta quaedam Satirarum supervacanea ante Epistolas interposita, I. Sat. **4**, **122 — 6**, **40** et II. Sat. **8**. eadem quidem manu, qua cetera, ut videtur, scripta, sed ex alio exemplari, eoque bono et pervetusto, depromta: quae fragmenta Mon. **2**, b. signavimus. Sequuntur fol. **83**. averso Epistolarum libri II. tum Sermonum Libri II. Singulae hujus codicis paginae duplices habent columnas, **40 — 44** versibus constantes, scriptis inter lineas stilo ductas et utrimque et in medio duplici linea perpendiculari terminatas. Stigmata linearum in margine exteriore ubique infixa. Modo fol. **103** (II. Sat. **5**, **8 — 6**, **34**) alia manu scriptum simplicem habet columnam, scilicet quod librarius unum exemplaris sui, unde descripsit, folium praetermiserat. Litterae eclogarum initiales pleraeque eodem quo ceterae atramento scriptae; minio pictae paucissimae. Atramentum e nigro fuscum, non aequale ubique, sed semper eadem manus esse librarii non indocti videtur. — Glossae et scholia passim nonnulla, sed pauca modo nec magni habenda (v. c. ad A. poet. v. **465** legitur: „Empedocles fuit gigas Agrigentinus pytagoricus). In glossis etiam Germanicae voces apparent, velut I. Epist. **1**, **79**. quos in vivaria mittant. gl. ad retia, ad *nasas hecnas*. **7**, **65**. scruta. gl. quas vulgo *grutas* vocant. Hinc codicem in Germania esse ortum facile colligitur. Tituli breves singulis eclogis inditi, in carminibus metri descriptione plerumque addita. — Scriptura hujus codicis nec aequalis ubique, nec munda et elegans, sed plana tamen et explicata, saeculi **XI**., ineuntis magis quam exeuntis, consuetudinem prodit in litteris rotundis magis quam angulosis, et b, d, f, l, p, r, ſ, ſſ, supra et infra lineam longius productis, tum in diphthongorum ae, oe et sigli æ usu frequenti, qui jam saec. **XI**. paulatim in e et ę transiit, (aere, caena, æuum, duræ, poena, moenia, foenore, cett.) ı ubique, í, íí vel i nusquam. d et ∂ promiscue, sed ∂ frequentius. r plerumque, ꝛ rarius, modo in fine vocum. ſ longum ubique, s finale modo in siglis quibusdam. Sigla et compendia scripturae pauca et antiqua: ē pro est (nusquam ÷) c̄ con (nusquam ɔ vel 9). & pro et frequentissime initio, medio, fine vocum. (&iam, p&er&). Distinctionis signa ut in Lips. **1**., modo rarius usurpata, et colon hoc signo (7) saepe expressum. — Orthographia vocum, proba plerumque et antiqua, hoc singulare habet, quod motare ubique pro mutare scriptum reperitur, et pinna pro penna. Ceterum scribitur: Juppiter, Maecenas, Bachus, sucus, baca, belua, artus, secuntur, percontor, quicquid, quicquam, nequiquam, nanque, cunque, unquam, nunquam, exul, coercet,

damno, damnum, contempno, volgus, Volcanus, volnus (frequenter), haut (semper), velud, capud, inquid (passim), obicit, deicit, inicit (semper). Accusativi III. decl. in is frequentes (omnis, acris, civis, ignis cett.) antiquo more. — Lectio hujus libri non ita quidem pura et incorrupta, ut in primae notae codicibus, Monac. 1. Dess. 1, Lips. 1, 2, 3, a. Graev. Leidensi, nec crebris vitiis in verbis vel omissis vel transpositis vel corruptis vacat, praecipue in Satiris, nam Carmina multo rectius et emendatius scripta; nihilo secius tamen hic codex in melioribus habendus cum propter antiquam et rectam plerumque nominum propriorum scriptionem, tum propter lectiones haud paucas bonas ac singulares, ex quibus has memoramus: I. Od. 4, 8. visit officinas. 8, 2. Hoc deos vere. II. Od. 4. Argumentum: ad Xanthiam tralippam (item in Mon. 5. Lips. 3, a. Turic. qui legit traliptam cum Oberl. A. Orellius falso affirmat, in utroque legi: iatraliptam, quae Oberlini est emendatio). III. Od. 4, 5. an me lusit. 23, 7. Robiginem. IV. Od. 7, 17. Qui scis an adiciant. Epod. 2, 23. sub alta ilice. 29. hiberni Jovis. 5, 15. illigata viperis. 30. ligonibus diris. 6, 10. odorabis. 12, 2. munera quid mihi, quidve. 17, 17. volente Circa. Carm. saec. 23. totidemque. 68. prorogat aevum. I. Sat. 1, 80. Ac si condoluit. II. Sat. 6, 108. verniliter. I. Epist. 1, 32. Est quadam prodire. 7, 51. proprios resecantem. 14, 29. cum decidit imber. 16, 61. da justo sanctoque videri. II. Ep. 1, 121. puero vel cogitat. Ars poet. 5. Spectatum missi. 289. clarisque.

44) **Mon 3.** Codex 3. bibliothecae Regiae Monacensis saec. XI. membran. in 4to. sign. F. I. olim monasterii St. Emerani Ratisbonae. Foliis constat 76, quae continent: a) Persii Satiras cum Scholiaste vetere, fol. 1 — 14. b) Horatii opera fol. 18 — 76, non tamen plena, deficiente prima parte, Carm. L. I. 1—Lib. III, 15. v. 12. et ultima parte, ut Epistolae prorsus desinit. Insunt ergo: Carminum Lib. III, 15. v. 13. sq. Lib. IV. Tum Epodon lib. Carm. saec. Ars poet. Sermonum Libri II. Hic codex in membrana sordidiore scriptus, foliis inter se nec aequalibus nec pariter sectis, omnino negligentius habitus, sine ullis colorum ornamentis. Paginae omnes, etiam in Odis, simplices habent versuum columnas. Versus in singulis paginis triceni quini inter lineas stilo ductas scripti, quae lineis perpendicularibus terminantur, sed non ubique; nam passim nullae lineae cernuntur. Atramentum in Odis valde pallidum, ut nonnumquam oculos fugiat. — Tituli eclogarum breves plerumque ad marginem adscripti (velut III, 17. Ad Aelium de nobilitate illius. 18. Ad Faunum dominum silvarum de custodibus sui pecoris. 19. Ad Telephum. 20. Ad Pyrrhum. 21. Ad amphoram cett.) passim deficiunt, praecipue in Satiris. — Scholia et glossae rarius, modo singulis locis aspersae, nil cognitu dignum afferunt. Scriptura, quae eandem ubique manum prodit, laxior est, satisque accurata, plana et explicata, ad indolem saeculi XII. jam propius accedens; ductu litterarum magis anguloso, litteris longioribus b, d, f, g, h, l, p, q, ſ, non multum supra et infra lineam prominentibus, quare saeculo XI. extremo hunc codicum puto scriptum, a Monacensi altero fere toto saeculo distantem. e vel ę plerumque pro ae, oe diphthongis, quae tamen passim exstant cum siglo æ (poena, moechus, aetas, cæsar) d et ∂ promiscue, r plerumque, ꝛ rarius in fine vocum. ſ longum ubique, s modo in fine vocum, elatius (custo^s). Litterae versuum initiales minore forma nec a minusculis admodum differente. Sigla et compendia scripturae pauca et antiqua. ē pro est plerumque, ÷ vel ⁓ rarius. ħ pro enim, antiquo usu. & pro et (7 rarius) initio, medio, fine vocum. Distinctionis signa eadem quae in Monac. 1. Orthographia vocum plerumque proba et antiqua: Juppiter, (Jupiter)

Maecenas, (Mecenas) Bachus, sucus, baca, percontor, quicquid, quicquam, umquam, numquam, nequiquam, urget, tempnit, sumptus, hiemps, vulgus, vult, vultus, secuntur, inmundus, inpransus, inmorsus, illino, obicit, deicit, vicium, velud, capud, (passim) michi, nichil, (rarius). Accus. III. decl. in is haud frequentes. — Hic codex e bono et vetusto exemplari ductus esse videtur. Quamquam enim vitiis varii generis non vacat, metro saepe laeso, vocabulis vel transpositis vel omissis vel depravatis (quod in antiquioribus quoque fit) lectio tamen plerumque cum melioribus libris convenit, quaedam propria habet, aut e vetustiore libro transcripta aut a librario ipso licentius mutata, qui particulam et haud raro temere inseruit. E lectionibus has afferre libet: IV. Od, 11, 7. ara castis cincta verbenis. 14, 9. Quod Marte. 28. meditatur 35. Alexandria. In Carm. 15, 11. post verba: emovitque culpas additur: *ne serviremus voluptati* (item in Dorv. 2). Epod. 6, 9. replesti nemus. 7, 17. acerba fata. 12. 3. nec juveni firmo. 15, 4. in vota (supscr. vel verba) jurabas. I. Sat. 1, 9. legum jurisque peritus. 63. miseram esse. 2, 36. vulvae Cupiennius albae. 70. prognatam posco de patre puellam. 4, 115. vitatum quidque petitum. II. Sat. 6, 75. Quidve ad amicitiam. Art poët. 220. vilem cantavit ob hircum. 332. servanda cupressu. 428. recte bene pulchre. 470. cur versus dictitet. — — Hic codex, ut supra indicavimus, Persii quoque Satiras continet cum scholiis plerisque ex Cornuti commentario ad marginem scriptis, sed maximam partem difficillimis lectu propter atramentum evanidum et membranam manibus tritam. Passim schedae singulae inter folia assutae ubi margo deficiebat, commentarium continuant. Plerumque haec scholia conveniunt cum Cornuti commentario, quem O. Jahnius in Editione Satirarum Persii (Lips. 1843.) exhibuit. In prima pagina aversa vita illa antiqua a grammatico scripta legitur hoc titulo: *Incipit vita Aulis Persii Flacci de commentario Probi Valerii sublata.* Eandem ex aliis libris Jahnius p. 233. sq. edidit, qui hujus quoque codicis lectiones excerptas a Schweigero accepit et sub tit. M. 7. vulgavit. V. ejus praefat. p. CCV.

45) **Mon. 4.** Codex 4. bibliothecae Regiae Monacensis saec. XII. membranaceus in 8vo mediocri, sign. Nr. B. VIII. olim monasterii St. Emerani Ratisbonae. Hic codex in membrana varia, partim tenui, partim crassiore nec admodum alba scriptus, foliis inter se parum aequalibus, tegumentorum dorso et angulis corio ovino albo firmatis. Foliis constat 79, et plures scriptorum libros complectitur: a) Horatii opera, fol. 1 — 48. ab initio mutila, deficientibus quatuor Odarum libris et Epodon parte; nam incipit codex ab Epod. 16. v. 16. Sequuntur Carmen saec. Ars poet. Sermonum libri II. Epistolarum libri II. b) Donati grammaticam, fol. 49 — 65. c) Ovidii librum de remediis amoris, fol. 66 — 79, in sordida membrana sordide scriptum. — In Horatii libris scriptura minutissima quidem, sed aequabilis et accurata, eandem ubique manum prodit. Paginae omnes simplices habent versuum columnas. Versus in singulis paginis 38. scripti inter lineas stilo ductas et stigmatis ad marginem signatas, binis utrimque lineis perpendicularibus terminatas, quibus litterae versuum initiales includuntur, per maximam libri partem rubrica notatae. Tituli et litterae eclogarum initiales usque ad fol. 26. minio pictae, post atramento. Atramentum non idem ubique, ex fusco nigricans, ex parte pallidius. Lacunae in hoc libro exstant inter fol. 11 — 12 (I. Sat. 2, 15 — 3, 15.) tum inter fol. 24 — 25 (II. Sat. 3, 9 — 4, 68). Scholia et glossae passim aspersae nil cognitu dignum afferunt, nec eandem ubique manum produnt; quaedam, ut ipsi tituli additi, posteriori aetati tribuenda videntur. — Scriptura huius codicis bona, plana et explicata saeculi XII. ductum calami angulosum et elegantem prae se fert, ad cujus priorem partem cum pro-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pter totam indolem, in litterarum maiorum minorumque figura, in siglis et compendiis scribendi conspicuam, tum propter singularia quaedam illius aetatis indicia. ae, oe diphthongi cum æ siglo haud infrequentes, etsi plerumque per ę vel e expressae. e littera lineolam capituli ex vetustissimo usu protendit. d et ẟ promiscue; r plerumque scriptum, ꝛ rarius. ſ longum ubique, s finale supra lineam effertur (lippu$^s$). In siglis &, 7 pro et frequenter. ɔ pro con, ∻ pro est, ꝉꝉ pro enim, passim. In distinctionibus punctum majus (.) et minus (·), semicolon (; ;) et interrogandi signum frequentantur. — Orthographia vocum proba plerumque et antiqua. Juppiter (Jupiter raro), Maecenas, Bachus, Apulus, milia, sucus, belua, baca, heres, percontor, artus, Volcanus (sed vult, vulgus), quicquid, nequiquam, umquam, numquam, thura, sepulchrum, olus, corda, coturnus, obprobrium, obicit, inicit, deicit, vicium, ambicio, racio, avaricia, aeneus, (aheneus in nullo vetustiore codice inveni) velud, inquid, passim; accusativi III. declin. in es fere semper. — Lectio hujus codicis e bono et vetusto exemplari ducta, pura plerumque et emendata, librarium prodit satis doctum et diligentem, ut in melioribus omnino libris hic numerandus sit. Ex ejus lectionibus nonnullas hic afferre placet. Epod. **17**, **36**. Quae finis (quis superscr.) II. Sat. **7**, **109**. qui puer uva Furtivam mutat strigilem. **8**, **4**. da, si grave. (dic superscr.) I. Epist. **5**, **24**. nec fidos. **6**, **31**. hoc age divitiis. **7**, **16**. o tu quantumvis. **57**. At properare. II. Ep. **1**, **127**. sermonibus aures. **2**, **53**. satis expugnare. **169**. sub gelidam noctem. **202**. aetatem ducimus astris. Ars poët. **139**. Parturiunt montes. **318**. et veras hinc. —

**46**) **Mon. 5.** Codex **5**. bibliothecae Regiae Monacensis saec. XII. membranaceus in **4**⁰ sign. Nr. D. **6**. e. Weihestephanensis **63**. Hic codex, forma quadrata, tegumentis firmis corio albo involutis, in splendidioribus Horatii numerandus. Sola Horatii opera continet in membrana crassiore, candida et in utraque pagina bene praeparata luculentissime scripta. Folia habet **99**, omnia aequalia. In priore parte fol. **1** — **81**. Ars poet. Epistolarum libri II. et Sermonum libri II. litteris pinguioribus ac grandioribus ubique aequalibus splendide scripti. — In altera parte a priore multum diversa Lyrica insunt, alia manu, sed satis diligenti, angustius exarata, usque ad IV. Od. **8**, **17**. deficiente reliqua parte libri IV. cum Epodis et Carmine saeculari. — In prima hujus codicis pagina Vita illa legitur, cujus initium est: *Q. Horatius Flaccus libertino patre natus* cett. tum prolegomena in Artem poët. inania parvique aestimanda. — In alterius folii Arti poet. praefixi pagina adversa cernitur imago Scti Stephani colore violaceo picta, cui abbas librum supplex offert. Circumscripta sunt haec litteris miniatis: *Sanctus Stephanus. Servus Sancte tuus hunc librum do tibi alumnus. pro quo merce* (dem) *caelis me* (mihi) *redde perennem.* In pagina aversa Horatii imago, *oracius* inscripta, ut juvenis tunica et pallio induti, apicem in capite, sceptrum in dextra gestantis colore violaceo picta cernitur, laeva lemniscos tenente, in quibus haec scripta: *Lector pertractet Flacci quid epistola tractet. Librum sermonum lege doctrinam tibi morum. Sit tibi doctrina bene dictandi poetria.* Post Epistolarum librum II. in fol. **40**. averso Calendarii specimen exhibetur, in quo ex Friderici I. Germanorum Imperatoris vita novissima quaedam ad a. **1163** pertinentia referuntur; in fol. **41** brevis historia ducum Bavaricorum legitur usque ad Henricum Superbum, Henrici Nigri filium ex Wulfhildi, Magni, Saxonum ducis, filia. — Is Henricus Superbus Bavariae praefuit a. **1125** — **1139**, quo obiit. Uxorem habuit Gertrudin, Lotharii Imperatoris ex Richenza filiam. — Ex his quae attulimus, codicem nostrum in altera saeculi XII. parte scriptum esse, recte colligitur. Qua cum aetate totus ejus habitus et ipsa scripturae indoles omni ex parte convenit. Paginae omnes simplices habent versuum columnas,



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sed in Lyricis singulae lineae binos, sub finem ternos quoque habent versus una continuatione scriptos. Versus in singulis paginis Artis poet., Epistolarum et Satirarum **27**, scripti inter lineas stilo ductas, in prima codicis parte pallide coloratas, binis utrimque lineis perpendicularibus terminatas, quibus litterae initiales versuum includuntur. In Lyricis autem singulae paginae versus **36**, ultimae adeo **42** habent. Tituli et litterae eclogarum initiales plerumque minio pictae, sed in Satiris et in Lyricis quoque tituli desunt. Atramentum in Epistolis et Satiris nigerrimum, in Lyricis autem fuscum est. Scholia et glossae in Epist. et Sermonibus paucae, in Lyricis nullae. Scriptura in priore codicis parte grandis, luculenta et aequalis, ductum habet saeculi XII. elegantem, angulosum et fere quadratum, litteris non multum vel supra vel infra lineam prominentibus; in Lyricis autem aliam habet omnino speciem multo contractiorem exilioremque, litteris tenuioribus, macris et confertis omnibus, sed tamen plane et explicate scriptis. Non tamen alia aetate hanc alteram partem atque priorem illam puto esse exaratam; utramque vero certis de causis saeculo **XII.** extremo attribuo. Nam diphthongi ae, oe rarissime apparent, æ siglum nusquam; e simplex pro iis fere ubique. ı duplicatum accentu notatur (vıcíís, ımperíí, socíís). Sed ı simplex ubique, non i vel í. d in priore parte usitatum, in altera d et ∂ promiscue. r plerumque, ꝛ rarius, ſ longum fere ubique, s modo in fine vocum et supra lineam elatum (hospe^s). Sigla et compendia scribendi non nimis multa et illo aevo usitata. & frequens, ꝝ pro rum, ē pro est (non ÷). Orthographia vocum vetustiorem consuetudinem plerumque servat: Juppiter, Ulixes, Apulus, percontor, milia, belua, sucus, artus, carta, numquam, umquam, cumque, tantumdem, inmundus, inpransus, inruptus, inpressus, inbuo, sed illudo, collaudem, obprobrium; p inter mn, ms, mt insertum (contempno, hiemps, ademptus) j ante i ejectum in compositis (obicit, inicit, deicit) i pro y plerumque (lide, licus) c pro t (vicium, avaricia) tum inquid, velud, caput, haut, (plerumque) michi, nichil, (semper). Accusativi tert. declin. in is satis frequentes. — Lectio hujus codicis, ex bono et vetusto exemplari ducta, non ex omni quidem parte probatur; negligentiae enim vestigia haud pauca insunt, vocibus haud raro vel transpositis vel depravatis nec singulis modo verbis sed totis versibus, vel pluribus deinceps omissis; tum interpunctio in eleganti scriptura valde neglecta librarium prodit sollertem magis quam eruditum. Nihilo secius tamen, cum vel optimi libri suis vitiis non careant, hic codex in melioribus numerandus, qui plura bona habeat quam mala, eaque singula, non regnantia, in utraque parte; sed Epistolas cum Sermonibus paulo emendatius quam Lyrica scriptas dixerim. Ex variis lectionibus nonnullas afferre placet. I. Od. **3**, **3**. pater regat. **8**, **2**. hoc deos oro. **15**, **24**. Teucer te Sthenelus. **20**, **2**. grata quod ego. **25**, **6**. audit minus. III, **29**, **21**. novum carmen constitutum sub tit.: Ad Mecenatem paranetice. I. Sat. **8**, **19**. quae vexant. II. Sat. **1**, **5**. quid faciam perscribe. **3**, **191**. classem deducere Troia. **6**, **108**. verniliter. I. Epist. **2**, **66**. pellem illatravit. **7**, **43**. tua dona relinquo. II. Epist. **1**, **48**. in fastus. **201**. pervaluere. **2**, **44**. ut vellem curvo. **53**. satis expugnare. **154**. rationibus isdem (vel monitoribus superscr).

**47**) **Mor.** Codex Morellianus, ab inventoris et possessoris nomine a nobis merito dictus, saeculi X. membranaceus in 4to, ex variis libri perboni ac pervetusti particulis constat, quas Gallus Morellus, V. Reverendiss., Sacrorum antistes et bibliothecarius in Eremitarum Coenobio (Kl. Einsiedeln) prospero casu veterum librorum tegumentis agglutinatas partim in illa bibliotheca, partim in Coenobii St. Geroldi in valle Valsensium reperit et detractas ac sordibus coriique adhaerentis vestigiis magna ex parte obtectas in unum congessit. Haec fragmenta 22

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

foliis partim integris, partim, ut fors tulit, laceris vel amputatis constant, quae Car. Guil. Muellero amico intercedente Morelli humanitas nobis utenda concessit. Hic ergo codex olim Horatii opera omnia videtur esse complexus; nam in schedis particulae Odarum, Sermonum, Artis poet. et Epistolarum plurimae insunt. Ordo librorum, quantum e vestigiis colligere licet, prorsus singularis fuit. Nam quatuor Odarum libros subsequi videtur, ex antiquissima consuetudine, Ars poetica. Tum Epodon liber et carmen saec. Dein Sermonum libri duo, postremo Epistolarum libri duo. Nam certe Satiram libri II. octavam excipit in eadem scheda Epistola prima, licet in hac superscripta legantur: *Oratii Fl. Carmen seculare explicit. Incipit liber Eplarum*: unde hunc titulum ex alio codice temere exscriptum colligas. Haec autem librorum fragmenta exstant: a) Odar. L. IV. c. 11, **10—13**, **27.** in binis foliis duplicatis, quarum alteram partem Artis poet. fragmentum obtinet. b) Artis poet. v. **75—158. 201—242.** mutili v. **411—450.** c) Sermonum Lib. II. sat. **5, 3—86. 6, 61—98** (dimidiati versus). **103—116. 7, 1—27. 70—118. 8, 1—36. 86—95.** d) Epistolarum Lib. I, **1**, v. **1. 7—22.** dein dimidiati vers. **27—43. 48—64.** v. **107. 8.** Epp. **2, 1—18, 31** integrae exstant. v. **31—72** mutili. Inde a vers. **72**— Ep. **20** ad finem usque integra sunt. Epist. L. II. **1, 1—176** (abscisis aliquot versibus). v. **220—260.** v. **261—270** dimidiati: **2, 1—31.** dimidiati. v. **32—73** integri, passim obscurati. v. **78—94.** v. **99—115.** mutili. — Membranae satis crassae, foliis inaequalibus quaternis inter se compositis. Singulae paginae versus habent **21** inter lineas stilo ductas utrimque duplici linea perpendiculari terminatas, quibus litterae initiales paululum semotae a textu includuntur. Litterae versuum initiales et tituli atramento fere scripti, modo eclogarum initiales aliquot et librorum tituli minio picti. Scriptura luculenta, plana et explicata, atramento e fusco nigricante, minusculam Romanam puram et concinnam refert, qualis saeculi X. fuit, et cum codice Turicensi plurimum similitudinis habet. Diphthongorum ae, oe cum siglo æ usus frequens, ut in antiquissimis libris; (caena, caelum, proelia, meæ): æ, oe passim pro e. (calæbo, scaenae, coepere) sed e, ę pro ae, oe plerumque (Maecenas et Mecenas) vetusto more; i purum ubique, í vel i nusquam, d ubique non ∂; r, non ɿ; u pro v semper. ſ longum ubique, et in fine vocum; s finale nusquam. r et ſ litterae infra lineam descendunt, vetustissimo usu. Sigla et compendia scribendi perpauca: & frequens, in mediis quoque vocibus (mori&ur), ē pro est plerumque, ÷ rarius. Orthographia vocum antiquam consuetudinem servat: Ulixes, Juppiter, Bachus, di, dis (sed Cassii, Livii), milia, tus, baca, grais, cumque, numquam, umquam, quicquam, quicquid, nequiquam, percontari, urget, vult, vultus, jocundus, pulcra, coturnus, proicit, abicito, obice, aspicere, inberbes, temptat, contempnere, viciis, tociens, sedicio, tercia, haud et haut. Accusativi tertiae decl. in is satis frequentes (avis, suavis, cenantis, hostis, pluris, acris, majoris, decembris). Distinctionis signa punctum majus (.) minus (·) semicolon (;) interrogandi signum (?). — Glossae inter lineas et scholia ad margines, eadem qua ipse textus aetate scripta, in Arte poet. Epistolis et Sermonibus satis multa; Carminum fragmenta glossis modo instructa. — Lectio hujus codicis plerumque bona et antiqua cum Graeviano codice plurimum, etiam in titulis eclogarum, convenit; sed propter multos locos obscuratos saepe impedita et difficilis. Ejus varietates notabiliores propter codicis praestantiam nos ex plerisque ejus fragmentis paulo largius hic indicabimus, praesertim cum Orellius V. Cl. in cujus manibus hae schedae fuere, quas Codicis Einsiedlensis appellatione notavit, iis omnino usus non sit, quod nobis demum facere licuit, postquam corii sordes quibus obtectae erant, cautissime abluimus. IV. Od. **12, 11.** Delectantque deum. **13, 14.** cari lapides. II. Sat. **5, 6.** redeat. **11.** sive aliquid privum. **18.**

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Troia. **44.** Annabunt tynni **74.** scribit mala crimina. **76.** Penelopam. **81.** Sic tibi. **6, 90.** quod te juvat. **7, 13.** doctor (vel us superscr.) **17.** in phimum. **19.** acrior ille. a. **1** m. (ac prior. corr. a **2.** m.) **20.** Qui tam contempto quam laxo. **81.** alii servis. **113.** et erro. **8, 1.** Ut Nasidieni juvit te. **24.** semel obsorbere. **36.** nihil sic. **89.** leporum vulsos. I. Ep. **2, 4.** Plenius. **5.** distinet. **8.** aestum. **28.** Penelopae. **31.** cessatum ducere somnum (vel curam ad marg.) **32.** hominem. **46.** contingit nihil amplius. **4, 7.** dederunt. **9.** Qui sapere. **5, 1.** archiacis. **6.** arcesse. **17.** inertem. **26.** Butram tibi Septiciumque. **6, 5.** imbuti spectant. **7, 41.** Ithace locus. **64.** Volteium. **8, 6.** agris. **9, 6.** agnovit. **10, 9.** ad caelum fertis. **18.** divellat. **28.** propiusque. **13, 14.** glomos. **15, 25.** tibi nos at credere. **37.** correctus Bestius. **16, 7.** discedens. **33.** aut si. **40.** medicandum. **61.** justum sanctumque videri. **17, 21.** vilia verum. **18, 28.** meae contendere noli. **30.** Atra decet. **37.** illius umquam. v. **91.** deest, ut in Dess. **1. 93.** tepores. **98.** Num te semper — Num pavor. **111.** qui ponit et aufert. **20, 1.** Vortumnum. II. Ep. **1. 13.** qui praegravat arte Infra se positos (sic conjec. Pearce et Doering). **17.** nihil ortum. **35.** chartis pretium. **38.** excludet. **48.** in fastos. **63.** est ubi peccet. **67.** dicere credit. **79.** Attae. **83.** ducunt. **90.** Graecis. **105.** rectis. **153.** Poenaque nata (sed l. superscr.) **167.** insciciae. **168.** quia res arcessit. **228.** arcessas.

48) **Sant.** Codex Santenianus bibliothecae Regiae Berolinensis saec XIII. in Fol. sign. Nr. **60**, ex Santenii libris emtus olim a Diezio, continet Florilegium sive Excerpta locorum insigium ex poetis aliisque antiquis scriptoribus, in quibus Horatii quoque loci haud pauci ex Arte poet. Sermonibus et Epistolis insunt. Hunc codicem nos in praefat. ad Ed. Satirarum T. I. p. XCIX et C. plenius descripsimus, ejusque lectiones ad Sermon. Lib. I. ipsi vulgavimus, ad Epist. lib. I. cum Obbario nostro communicavimus. Quare h. l. lectiones praestabiliores ex Epist. Lib. II. et Arte poet. excerptas dabimus, in quibus judicandis omnino tenendum, nonnullos locos a viro docto, qui hoc Florilegium condidit, consulto mutatos esse, ut sententia praeter constructionem statueretur, in quibus hos numeramus: II. Epist. **1, 221.** Nunc laedimur. **262.** Discit hoc citius. **2, 172.** Nil proprium est cuiquam et. **174.** permutat — cedit. **175.** Nulli perpetuus rerum datur usus. A. poet. **416.** Non satis est. — Sed idem ex vetusto exemplari suo haec videtur sumsisse: II. Epist. **1, 21.** summota. **38.** excludit. **114.** navem. **127.** et obscenis. **222.** reprehendere. **2, 11.** qui volt excludere. **56.** convivia, ludos. **64.** id sane invisum est. **141.** utile ludis. **146.** sitim cohiberet. **147.** quid quanto. **191.** non metuam. — Ars poet. **10.** Quaelibet audendi. **43.** jam non dicat, jam non deb. **70.** caduntque. **71.** sunt nunc. **139.** Parturient. **170.** et timet. **164.** castigator censorque. **180.** per aures. **314.** officium et quae. **330.** an haec. **334.** jocunda. **348.** quem volt. **350.** Non semper. **352.** incuria fudit. **360.** Verum opere in longo.

49) **Tur.** Codex bibliothecae Turicensis Carolinus saec. X. membranaceus in 4to, sign. Nr. C. **154.** quo Orellius V. Cl. ad Ed. Hor. est usus et litt. T. eum notavit. Hic liber **83** foliis constans, confuse inter se junctis, continet Horatii carminum libros IV. ex parte mutilos, Artem poet. et Epodon librum etiam mutilum. In fol. **1 — 53** exstant Carm. I, **1** — III, **27.** v. **56.** Tum lacuna est inter fol. **53 — 54** usque ad Od. IV, **11** v. **12.** Sequitur reliqua pars libri IV. Carminum ad Od. **11, 12.** Dein Ars poet. et Epodi **1.** initium, f. **58 — 69.** unde altera lacuna absumsit Epod. I, **18 — 9, 36.** Epodon reliquam partem excipit Carmen saec. p. **77** b. v. **1 — 20**, ubi deficit. In extrema parte f. **78 — 83** subsequitur lacera pars libri IV. Carm. **4,**

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

5 — 9, 32. Membrana hujus codicis crassior satisque alba, sed inaequalis, passim sordidior et maculosa. Columnae versuum simplices ubique, nusquam duplices. Lineae transversae per omnes paginas stilo ductae utrimque binis perpendicularibus terminatae versus in singulis paginis 21 — 23 fere includunt. Atramentum e nigro fuscum. Litterae initiales versuum omnes nigrae, sed eclogarum et plerumque titulorum quoque, ubi quidem exstant, minio pictae, admixto passim pigmento quodam argenteo, ut in Lips. 2. passim etiam nigrae initiales minio addito ornatae. — Tituli in singulis libris superscripti et in eclogis plerisque, deficientibus haud paucis, praesertim in primo libro, cum antiquioribus, Graev. Leid. Mentel. minime conveniunt, sed cum Lips. 3, a. ita conspirant, ut ex uno fonte in utroque ducti esse videantur. Ex gr. Lib. II. Q. Horatii Flacci Carminum Lib. I. explicit (finit. Tur.) Incipit Lib. II. ad Asinium Pollionem consularem virum. 2. Ad Crispum Salustium. 3. Ad Dellium. 4. Ad Xanthiam Tralippam (Traliptam Tur. non iatraliptam, ut ap. Orell. v. sup. nr. 43.) ancillam amare crimen non esse. (protreptice tetracolos. Tur. addit.). Glossae inter lineas et scholia ad margines in paucissimis modo paginis exstant, manu antiqua, vel ejusdem vel insequentis saeculi. — Scriptura hujus codicis plana, luculenta, satis grandis et laxa, minusculam Romanam saeculi X. puram et explicatam refert, paulo magis angulosam, quam in cod. Morell. quocum plurimum cognationis habet. Diphthongorum ae, oe cum siglo æ usus frequens; ae, oe pro e passim (aequitat, Soractae, moeta, foerox): sed e, ę pro ae, oe plerumque. ı purum ubique, non í vel i. d non ꝺ: r, non ꝛ; u, non v. ſ longum ubique, s in fine vocum rarissime, modo cum siglo junctum. Sigla et compendia scribendi non multa: & frequens, in ipsis quoque vocibus (lic&) ẽ pro est plerumque: ÷ rarius (bis in A. poet.) ⊢ superscriptum pro h. Interpunctio ut in cod. Mor. — Orthographia vocum, etsi crebro vitiosa, litteris i et y, b et p, d et t temere inter se commutatis (olimpicum, hiadas, nimpha, lira, cythara, sydus, pipennibus, Titidem, dodata, Dracum, Dyndari cett.) h temere addito vel omisso (Protheus, Elena, nothus) tum Affricus, Polopis cett. nec sibi constans in multis, antiquum tamen morem plerumque servat: Juppiter, Ulixes, Bachus (Bacchus, Baccus) Apulus, Mecenas, praelia (proelia) caecus, caelum, loetum, cetera, di, dii, diis, belua, pelex, vulnus, vult, volgus, (semel) litus, quotiens, quicquid, nequiquam, cumque, numquam, umquam, hiemps, temptas, emptus. cett. sed damna, redemtor; inbellis, inlapsus, inligatus, inmodicus, inmitis, inmeritus, inpavidus, inpulsus, inpressit, inrupta, inretorto, conbiberet, conlatis; sed improvisa, compositus; compescit; tum iniciat, adiciant, proicit; tristicia, canicies, exicio, condicio, diviciis, cett. Accusativi tertiae decl. in is satis frequentes. — Lectio hujus codicis a librario parum erudito non ex optimo exemplari ducta, licet a vetustate commendetur, prava tamen et vitiosa haud pauca habet, versibus passim inter se confusis nec recte distinctis (ut I. Od. 10. superis deorum gratus et imis Aurea turbam) vocibusque vel omissis vel transpositis vel depravatis, ut I. Od. 7, 13. Ac tiburtini lucus et praeceps Anio et uda. Haec Orellius V. Cl. in Var. lect. plerumque silentio praeteriit; sed in orthographiae varietatibus notandis non satis constanter egit. Omissa quaedam ab eo modo ad Lib. I. Odarum supplebimus; nam ejusmodi racemationem instituere taediosum sane et ingratum negotium est. I. Od. 1, 35. memet—inseres. 2, 14. tiberim rethortis flavum. 18. ultorum. 34. circum volat. 3, 19. turbidum. 20. achroceraunia 37. Nihil mort. ardui est. 4, 19. licidam. 7, 13. (v. sup.) 14. pomeria. 16. nec parturit. 22. ter uda. 8, 15. ne viriles. 12, 13. parentis. 18. Ne viget. 56. Saerus. 14, 13. genus inutile nomen. 15, 21. lartiadem. 21, 14. caesare (in deest.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

27, 6. impium deest. 19. laboras Charibdi. 29. 1. invidus. 35, 34. dura deest. 36, 8. pueritiae. 38, 7. neque te.

50) **Zul.** Codex Zulichemianus, saec. XI. cujus lectiones Nic. Heinsii manu excerptas Petr. Burmannus ad Bentleium miserat (v. ejus praef. p. VI. ed. Lips.) non aliunde nisi ex P. Burmanni sylloge ejus manu scripta, quam bibl. Regia Berolin. servat, ad nostros usus pervenit. Illa autem modo tres priores Odarum libros complexa in IV. Od. 2. finitur. Lectiones inde notabiliores nonnullas hic afferemus: I. Od. 3, 16. fretum. 36. Praerupit. 7, 9. Aptum dicet. 13. Aut praeceps. 8, 2. Hoc deos. 12, 18. et secundum. 14, 8. Possunt imperiosius. 15, 9. Heu heu. 17, 19. Disces laborantes. 18, 5. increpat. 24, 13. Quid si Thr. 28, 4. tibi quicquam, e corr. 18. avidis mare. 21. rabidus comes. 31, 18. atque precor. 34, 16. hinc posuisse. II. Od. 2, 18. Discedens plebi. 3, 18. Tiberis lavat. 4, 18. Dilectam. 9, 8. Aut foliis. 12, 28. occupat. 15, 10. Excludet aestus. 16, 2. Pressus Aegeo. 18, 30. Orci sede. III. Od. 4, 1. caelo, dic age. 5. Auditus, an me. 6, 22. artubus. 7, 4. juvenem fidi. 11, 51. memorem sepulcri. 14, 12. male ominatis. 27, 10. imminentium. 28, 6. et veluti. 14. Paphum. 30, 15. Delphia. IV. Od. 1, 20. trabe Cyprea. 28. quatiunt.

---

Ita hoc opere satis laborioso perfecto, quo nos ad cognoscendos lectionis Horatianae fontes aliquantum attulisse putamus, nihil magis dolemus, quam quod propter necessarios hujus scriptionis limites nobis propositos vela jam contrahere et quae de scriptorum Horatii per libros vel msctos vel typis expressos propagatorum historia plenius et uberius explorata et praeparata habemus, ea vel ad tempus omittere vel in brevius redigere cogimur. Quamobrem quae ex superiore disputatione de codicibus nostris quasi collecta atque effecta necessario addenda visa sunt, ea nunc promemus, reliqua ad aliam disserendi occasionem nobis aliquando fortasse oblatam servamus.

---

# II.

## De codicum Horatianorum stirpibus ac familiis.

Ex ingenti numero codicum Horatii, qui in variis Europae bibliothecis exstant, ducenti circiter a viris doctis adhuc collati et ad scripta hujus poetae emendatius edenda adhibiti sunt. Sed eorum nemo adhuc illos codices omnes secundum aetatis, lectionis, ordinis, totiusque formae et titulorum quoque eclogis inditorum vel externam vel internam cognationem ac similitudinem in certas classes ac familias distribuere atque ordinare conatus est, eo consilio, ut ad principalem aliquem vel unum vel plures lectionis Horatianae integros fontes penetraret, unde ea in libris msctis quasi rivis diducta et saeculorum cursu paullatim turbata atque varie immutata ad nostram aetatem manaverit. Idque eo magis mirandum, quod ejus rei facultas data esse videtur, cum propter magnam codicum msctorum copiam, in quibus vetustissimi octo novemque saeculorum haud pauci, tum propter veterum interpretum commentarios proximis ab Horatio saeculis confectos multosque locos a grammaticis citatos, in quibus antiquissima lectio magnam partem servata est.

Sed tamen huic consilio exsequendo maximae nunc difficultates etiam obstant ex incredibili fere levitate ac negligentia, qua codices mscti a viris doctis plerisque adhuc inspecti atque collati sunt. Permulti enim codices suos vel optimos ac vetustissimos singulis modo locis dubiis inspi-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cere lectionemque notare satis habuerunt: alii etiam si diligentius lectionis varietatem excerperent, vel titulorum eclogis inditorum vel glossarum ac scholiorum vel orthographiae rationem aut nullam aut perexiguam habuerunt; paucissimi autem codicum ab ipsis usurpatorum aetatem, indolem, externum internumque habitum accuratius describere curaverunt. Hujus culpae antiquiores plerique accusandi sunt. Nam ut taceam vetustissimos libros saeculo XV. typis expressos, quorum auctores satis habuerunt, unum alterumve codicem non semper optimum prelo mandare, scripturae vitiis utcunque correctis, primi omnium Christoph. Landinus in Ed. Florent. **1482.** et Anton. Mancinellus in Ed. Veneta Pincii **1492.** in commentariis copiosissimis ad Horatii poëmata scriptis criticam aliquam curam conferendis codicibus msctis (in quibus Vaticanum Mancinellus ad I. Od. 1, **33.** et alibi memorat) adhibuerunt.[6]) Nova lux Horatio ab initio saeculi XVI. Aldi Manutii opera affulsit, qui vir ingenio, doctrina, diligentia pariter praestans cum alios scriptores Graecos atque Latinos ex msctorum fontibus emendatos edidit, tum codicibus msctis pluribus adhibitis Horatii poemata vere critica ratione recensuit et a priorum sordibus purgata restituit. In prima quidem Editione a. **1501.** litteris novis obliquis, quas cursivas appellant, vulgata textum

6) Libri editi vetustiores saeculi XV. omnino in re critica non tanti habendi sunt, quanti vulgo feruntur. Plerique enim ex codicibus, qui quidem typographis ad manus fuerunt, partim non admodum vetustis originem duxerunt, quod nobis, qui satis multos ex illis accurate contulimus, comparatis multo antiquioribus libris msctis bene cognitum est. Accedit quod ex prioribus editis nonnullis insecuti plerique vel omnino, vel magna ex parte expressi sunt nec in lectionis varietate, utrum ex codicibus an ex conjectura profecta sit, apparet.

Certe permulti ubique loci inveniuntur, in quibus illi vetustiores libri a plurimorum optimorumque codicum lectione ita constanter fere discedunt, ut aut nullam aut paucorum et recentiorum codicum auctoritatem sequi videantur. Sic ex gr. I. Ep. 8, 6. lectionem: in arvis cum paucis msc. recentt. editi veteres fere omnes habent, Mediol. 477. 83. 86. 508. 512. Venetae 478. 79. 86. 92 Pincii. 94. 95. 98. Flor. Landini 482. Loch. Aldinae 501. 509. 519. Ascens 501. 516. 519. Basil. 527. 555. 580. etc. Item Epist. 16, 73. ac sapiens. 75. et manicis. Ars poet. 8. finguntur. 115. maturusve. 160. et ponit. 214. luxuriam. 247. ignominiosaque verba. 470. cum versus. Praecipue Florentina Landini 482 et post eam, sed paulo minus, Pinciana Venet. 492. cum magna, quam utraque ducit, familia lectionum a codicum meliorum fide abhorrentium feracissimae sunt: ex gr. (ubi Pinciana conspirat, asteriscum addimus): I. Od. 1, 36. vertice sidera* 3, 16. ponere seu tollere vult freta* 11, 2. Leucothoe* 12, 28. sidera fulgent. 60. Fulmina terris. 14, 14. tumidus navita. 15, 20. vultus pulvere. 20, 11. Temperent vites.* 22, 18. recreatur umbra. 33, 14. Grata continuit. 35, 33. scelerum pudet. II, 1, 10. absit theatris. 2, 13. vilis hydrops. 13, 26. Et te canentem. IV, 1, 2. parce, precor, mihi. 3, 16. torqueor invido. etc. In Landiniano agmine numeramus etiam Locherianam, 498. licet passim propria afferat, et Editionem Lyricorum cum Epodis et Carm. saec. omnium rarissimam, quae nobis prospera fortuna obtigit, Petri van Os, Zwollis, in 4to, quam Neuhaus in Bibl. Hor., Bipontini et Mitsch. anno 1500 assignant, Schweiger (Handb. d. class. Bibliographie) in Editionum indice ceterum diligentissime confecto omisit. Prima pagina imaginem delineatam imperatoris Germanici refert, quem in genua submissum tres episcopi coronant. Titulus superscriptus est: Quinti Horatii Flacci Odarum sive lyricorum carminum libri. Foliis constat non numeratis 64. In fine sub carmine saec. subscripta leguntur: Finis lyricorum Quinti Ho. Flacci Impensis Petri Os Zwollis impressorum. Typi Gothicam s. Germanicam habent speciem, qualis sub finem Saec. XV. in usu fuit. Hic liber sane cognitu dignissimus est, ut qui plures afferat memorabiles lectiones, nusquam alibi repertas, velut I. Od. 15, 36. uret Achaius Ignis Pergameas domos. Quam laudatissimam lectionem Glareanus in codicibus inesse testatur, quos tamen nemo vidit. Sed receperunt eam et vindicarunt Cuningh. Sanadon. Schrader. Emend. praef. p. XXII. Jani, Fea, Meineccius. Orellii vero omnis dubitatio praeclare sic tollitur. Alterum locum laudamus I. Od. 21, 14. ubi v. Os legit: Pestemque a populo principe Caesare, in Persas cett. pro vulgata: a populo et principe. quam emendationem primus sibi invenisse visus est Jos. Scaliger, post eam arripuit Cuningamius, defendit Medebach et Jani, qui recepit et post eum Oberlin. al., reprobarunt Fea et Orell. praecipue propter deficientem auctoritatem, quam hic nacti sumus. — In transitu commemoramus editionem parum adhuc cognitam vel inspectam a viris doctis, Witebergae, typis M. Johannis Cratonis, a. 1598. quo in libro praeter alias lectiones notatu dignas reperimus etiam in loco II. Sat. 4, 19. pro vulgata librorum mss. et edd. lectione: Doctus eris vivam mixto mersare Falerno: emendationem multo post a Bentlejo excogitatam et inductam: Doctus eris vivam musto mersare Falerno: quam post recentiores certatim receperunt: Cuning. Sanad. Phil. Franc. Val. Sivr. Wakef. Wetz. Fea, Jaeck, Doer. Jahn. Heind. Meinecc. Defendunt eam Fea et Heindorf. quorum ille, multo ante sic Castellanum legisse ait, dissimulans hanc notitiam a Cuningamio allatam in Animadversionum Cap. V. p. 54. „et ita citat Castellanus De carnium esu: Lib. IV. c. 3.“ Sed Castellanus, natus a. 1585, librum suum diu post hanc Cratonis Editionem scripsit, unde hanc lectionem potius ipse sumpsisse existimandus est. Hinc etiam Orellii nota corrigenda, qui nimis caute in Ed. II. vulgatam mixto revocavit. — Sic in libris etiam neglectis singula bona saepe latent, quae plura afferre possimus.



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

poetae purum, nullis omnino notis vel commentariis additis exhibuit. In altera a. **1509** emissa non modo scripta Horatii novis codicum subsidiis denuo recensuit, sed certam etiam orthographiae rationem induxit (inter alia Accusat. tert. decl. in e i s). Tum primum in praefatione animadversiones criticas et commentarium de metris Horatianis addidit singulasque praeterea odas metrorum descriptionibus instruxit, post ab aliis certatim receptis, ut haec altera Editio pro vere nova et doctrinae copiis ornata habenda sit. Tertiae Editioni a. **1519**. post Aldi obitum Franc. Asulanus affinis praefuit, qui Andreae Naugerii ope novam denuo textus recensionem instituit, additis superioris Ed. copiis, cum Marii Servii Centimetro et Nic. Peroti libello de metris Hor. Ita tres Aldinae, quas singulas suis virtutibus praestantes accurate contulimus, bene inter se distinguendae sunt. Nam quarta a. **1527**. ex tertia ad verbum expressa. Editio autem a. **1511**. Lugdunensis dicta, quam Sim. Carpentario tribuunt, post J. A. Fabricium (in Biblioth. Latina) ab Janio et Mitsch. perperam celebrata, ex Aldina II. **1509**. ad paginam et litteram cum omnibus typographi erroribus expressa, nihil omnino proprii habet, quod accurate instituta collatio nos docuit.

Sed ut ad propositum redeamus, nec Aldus Manutius codices suos nominatim memoravit vel descripsit, nec id post eum multi alii fecerunt. Nam Muretus, Turnebus, Canterus, Ge. Fabricius, Bersmannus, Torrentius, Henr. Stephanus, D. Heinsius, Rutgersius, Valart. libros msctos, quibus usi sunt, vix indicarunt; Rob. Stephanus in Ed. a. **1544**. **8**. „varias ex vetustis codicibus Horatii lectiones" in extrema libri parte addidit quidem, sed unde sumserit, non patefecit. Dionysius L a m b i n u s, et doctrina et ingenii acumine et commentandi arte pariter excellens, primus post Aldum codicum satis multorum ope, quos in praefatione memoravit quidem, non tamen accuratius descripsit, critica diligentia poetae textum ex omni parte recensuit et ad certam normam partim ex librorum auctoritate, partim ex usu Horatiano scite observato constitutam informavit. Sed idem vir doctus in codicum lectionibus citandis non semper religiosa cum fide egisse videtur.[7]) In antiquioribus Poelmannus (Pulm.) propter diligentiam, qua codices suos, undecim numero, contulit, praecipue laudandus. Sed de singulorum codicibus et de ratione qua iis usi sint, in praefat. ad Ed. Satirarum **T. I.** p. **XC — XCVII**. plenius egimus. Nec hujus loci et instituti est, singula pluribus persequi. Inter Feae codices, quorum ne numerum quidem indicavit, satis multos recentiores ac deterioris notae esse, certis indiciis cognitum habemus. Vanderbourg et Potterius (Pottier) iisdem fere codicibus Parisiensibus partim vetustissimis ac praestantissimis usi sunt (modo Pott. **18. 19. 20. 23.** non apud Vand., contra Vanderb. cod. V. non apud Pott.) quorum ille in conferendis et describendis hisce codicibus altero aliquanto diligentius egit. Sed operae pretium tamen fuerit, eos omnes Germanica diligentia iterum excutere atque accuratius conferre. Nam nec plenam uterque lectionis varietatem dedit, ut qui multas codicum suorum lectiones omiserint et orthographiae rationem nullam habuerint, nec in iis quae dederunt, satis accurate egerunt. Variae enim msctorum lectiones, quas alter exhibet, apud alterum saepe desunt, saepe apud utrumque pro una lectione non iidem, sed alii codices citantur, saepe adeo eorundem codicum lectiones apud utrumque inter se pugnant. Haec omnia permultis exemplis allatis facile probare possimus; modo hoc notamus: codicem nr. **8213** saec. **XII** (**13** apud Pott. O apud Vand.) cujus prima pagina Lambini nomen inscriptum habet, quem Vand. Jannoctianum Lambini

---

7) Haud raro enim Lambinus in lectione aliqua commendanda: „s i c o m n e s m e i" dicit, ubi vix unus alterve ex reliquis codicibus conspirat. Id jam Bentleius ei objecit. Sic ex gr. I. Od. 1, 33. lectionem: n e c P o l y h y m n i a in omnibus codd. inesse ait, ubi plerique et nostri et aliorum: n e q u e s. n e v e P o l y m n i a aut n e c P o l y m n e i a legunt. II. Od. 17, 14. Lamb. legit G y a s, quod in nullo mscto reperitur. Suorum codd. nonnullos habere dicit G y g e s, plerosque G y g a s, ubi nostri fere omnes legunt G i g a s, duo modo G y g a s, vulgari litterarum commutatione, nullus autem G y g e s vel G y a s. Prorsus eadem ratio est loci III.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

esse putat, comparatis, quantum quidem fieri potuit, ejus et ab hoc et ab illis laudatis lectionibus, non quidem ubique, sed plerumque tamen cum Jannoctiano conspirare, saepius tamen, et fere constanter, cum Basil. I. nostro.

Sed satis habemus haec singularia observata de singulis attulisse, quae plura afferre spatii nobis concessi angustiae et ipsa operis lex nos vetant. In summa id constat atque exploratum est, ea ratione ac modo quo adhuc codices Horatii variis aetatibus a variis collatos habemus, nihildum certi vel ad eos in stirpes suas ac familias distribuendos vel ad principalem aliquem vel unum vel plures fontes revocandos effectum esse. Verum enim vero verendum est, ne in tali conatu si non omnino, at certe aliqua ex parte operam ludamus. Nos enim posteaquam et nostrorum codicum permagnum numerum ex omni parte accurate contulimus, et msctorum ab aliis comparatorum lectiones diligenter perlustravimus, tantam inter vetustissimos quoque non lectionis solum, sed totius habitus ac formae diversitatem intercedere intelleximus, ut, etiamsi in singulis partibus inter se conspirent certamque cognationem prodant, in aliis tamen ita inter se dissideant, ut de perpetua quadam et constanti convenientia vix inter paucissimos quaeri possit. Atque haec diversitas, licet in saeculorum cursu quodam modo aucta, antiquior tamen est, quam ut ejus fontes indagare queamus. Quamquam enim Horatii codices non ita vetusti exstant, ut Virgilii, Terentii aliorumque scriptorum, et saeculum X. p. Chr. n. paucissimi certe superant, ex hoc ipso tamen saeculo haud paucos habemus praestantiores, etsi inter se non multum conspirantes. Nec eos ipsos, qui Vettii Agorii consulis Romani a. **527.** p. Chr. n. recensionem in Lyricis prae se ferunt, ex omni parte inter se consentire, supra in nota **2.** p. **24.** demonstravimus.

Sed lectionis Horatianae fontes habemus omnibus codicibus nostris multo antiquiores, Scholiastas veteres dico et Grammaticorum libros, in quibus loci Horatiani frequentissime citantur. Ex scholiastis antiquis s. grammaticis, qui scripta Horatiana commentariis suis illustrarunt, duo sunt, quorum pleni fere commentarii, etsi critica cura nequaquam satis adhuc purgati et emendati, ad nostram aetatem pervenerunt, Helenius Acron et Pomponius Porphyrio; nam quos Cruquius ex vetustis codicibus suis commentarios eruit ac vulgavit, ii quidem maximam partem ex illorum scholiis passim amplificatis et auctis vel immutatis consuti sunt. Praeterea ejusmodi commentarii magis minusve vel docti vel antiqui, in quibus tamen plerisque duumvirorum illorum scholia vel excerpta vel immixta sunt, in codicibus mss. satis multis reperiuntur, partimque cognitu dignissimi etiam nunc latent. Sic in nostris codicibus Dess. **1.** Monac. **1.** Lips. **3**, a. Guelph. **6.** plenissimos exhibent commentarios, quos diligentius excutere operae pretium fuerit. Ex cod. Guelph. **6.** in nota **3** (**4**) p. **34.** nonnulla dedimus; plura ex reliquis afferre, etsi in animo fuit, propter spatii angustias impedimur. Et de Acronis ac Porphyrionis aetate nil quidem certi constat, quod luculenter demonstravit Suringar V. Cl. in Historia critica scholiastarum Latinorum P. III, p. 8, sq.: quod Priscianum citat Acron ad II. Ep. **1**, **228.**, inde ipsum non ante saec. VI. vixisse constaret, si vere ipsius verba in scholio haberemus. Porphyrionem aetate inferiorem fuisse Acrone, certis argumentis ductus cum Suringaro (p. **12.**) et Weicherto (ib. p. **95.**) statuo.[8])

---

Od. 4, 69. ubi Lamb. Gyas legit et breviter modo notat: alii Gyges, alii gigas. Item I. Sat. 2, 54. hoc amat, hoc laudat" omnes suos dicit habere, quod in paucissimis modo nostris et aliorum legitur.

8) Praecipuum argumentum inde ducitur, quod Porphyrio Helenii Acronis commentarium duobus locis memorat et inde cognita affert, quos locos accuratius inspicere operae pretium est. Prior ille locus est: I. Sat. 8, 25. Cum Sagana majore ululantem: „*Memini me legere apud Helenium Acronem, Saganam fuisse libertam Pomponii senatoris, qui a triumviris est proscriptus.*" Haec hodie apud Acronem non leguntur, adeo aliquantum diversa ad Epod. 5, 25. At expedita Sagana: *Nomen veneficae alterius. Haec foeneratoris*



Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Christianum autem vel hunc vel illum fuisse, certe non potest ex ullo utriusque scriptorum loco evinci (cf. Suringar p. **38.**). Sed tamen utrumque libris interpretum Horatii multo ipsis antiquioribus usum fuisse, e permultis ipsorum locis, in quibus aliorum interpretationes laudant, etsi nominibus omissis, recte colligitur, quos locos Suringar l. c. p. **30 — 37** et **50 — 58** diligenter congessit. Atque adeo quae ab ipsis ex florente adhuc imperii Romani statu, ex cultu Deorum ac ceremoniis religiosis etiam constantibus, ex civium Romanorum vita et moribus cum antiqua consuetudine convenientibus, ex urbis ipsius antiqua locorum, templorum, aedium et publicarum et privatarum facie ac splendore permultis commentariorum locis memorantur (quos post Henr. Stephanum in ejus Diatribe Suringar p. **16 — 27** studiose congessit: nos plures etiam notavimus) ac praecipue quae de personis Horatianis ex accuratiore Horatianae aetatis notitia satis frequenter apud eos traduntur, ea ab his scholiastis non tam suis verbis afferri, quam ex antiquiorum interpretum locis ad verbum exscriptis proponi, perquam probabile est.

Quinam autem illi veteres fuerint, unde suas doctrinae copias scholiastae mutuati sint, ea vero valde difficilis nec unquam satis solvenda quaestio est. Nusquam enim eos nominatim indicant. Sed plures et varios fuisse, ex ipsis eorum testimoniis et indiciis certissime efficitur. Nam et apud Porphyrionem antiqui grammaticorum commentarii de personis Horatianis aliquoties memorantur (ut I. Sat. **3, 21.** *Qui de personis Horatianis scripserunt;* item v. **91.** ib.) et apud utrumque in singulis locis variae variorum interpretationes frequentissime memorantur his verbis: *quidam volunt: quidam dicunt: alii dicunt: alii negant: alii sic exponunt: nonnulli ita distingunt:* aut simpliciter per verba: *aliter: vel: aut: alias: vel etiam: item: item aliter:* (v. ap. Suringar. l. c.). Sed nec C. Aemilii, nescio cujus grammatici, quem jam ex numero scholiastarum exsulare jussimus (not. **5.** p. **43.**) nec Modesti, qui in Vita illa altera inter Horatii interpretes memoratur, in Acronis et Porphyrionis commentariis ullum vestigium apparet, etsi Julius Modestus grammaticus, quem Sueton. de Illustr. Gramm. cap. **20.** C. Julii Hygini (Horatii aequalis) libertum dicit, in studiis atque doctrina vestigia patroni secutum, a Gellio, Macrobio et Charisio aliquoties honorifice commemoratur (v. Suringar p. **87,** § **4.**), nec quidquam obstat, quominus eum Horatiana quoque scripta post ejus mortem illustrasse putemus. Nec vero Q. Terentii Scauri, quem A. Gellius L. IX, c. **15.** *divi Hadriani temporibus grammaticum vel nobilissimum* dicit, apud duumviros nostros ulla mentio fit, quamquam is praeter alia et plenos in Artem poeticam commentarios scripsit, quorum liber decimus bis a Charisio gramm. pag. **182. 188.** citatur (cf. Suringar p. **90,** §. **5.**). Horum copiis utrumque in Arte poet. explicanda esse usum, vel inde probabile fit, quod utriusque commentarii, Acronis praecipue, ad hunc librum multo pleniores et copiosiores, quam ad reliqua poetae nostri scripta exstant. Atque hunc ipsum Terentium Scaurum sub Commentatoris appellatione ab Acrone significari loco A. poet. **120.** Si forte reponis Achillem: cum dicit: *Apud Commentatorem sic inveni relatum* cett. (v. Suringar. p. **96.**) merito quis suspicari posset, nisi in Acrone nostro mscto Gud. scriptum exstaret: *Apud Commentatores sic inveni relatum.*

---

*cujusdam uxor fuit.* Sic legitur in ed. Basil. 1527. Sed in Basil. 1555 et 1580, nec non in nostro Acrone mscto Gud: *Haec senatoris cujusdam uxor fuit.* — Quae sequuntur apud Porph., cum iis conspirant, quae Acron addit. Porph. sic: „*Sed cum dicat majorem, apparet, aut sororem hanc habuisse minorem se, aut fuisse et aliam Saganam illis temporibus, minorem hac vel aetate, vel natalibus, vel censu.* Acron sic: „*Ostendit fuisse etiam minorem: aut majorem natalibus, aut aetate aut censu: aut majorem, quam fuit ipsa Canidia.*“ — Hinc perspicitur, Acronis locum illum qualem Porphyrio legit, mutilum ad nos pervenisse. Sed non alium atque hunc Acronis commentarium a Porphyrione citari, manifestum fit, si comparamus alterum locum II. Sat. 3, 83. Nescio an Anticyram: ubi Porph. „*Anticyra et oppidum*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ex his quae adhuc disputavimus, magnam patescere arbitramur scholiastarum veterum in lectione Horatiana auctoritatem, ut qui non modo ipsi codices usurpaverint nostris omnibus multo antiquiores, sed grammaticorum quoque commentariis usi sint ab Horatiana aetate non ita longe distantibus. Quare cum alii interpretes, Ge. Fabricius (in praef. ad Ed. Bas. **1555.**) Henr. Stephanus (in Diatr. de Porphyr. comm.) Baxterus, Gesnerus (in praef.) Peerlkampius al. permagni eos fecerunt, tum ipse criticorum princeps, Bentleius, plurimum illis tribuit (v. Suringar p. **42** sq.). Certe ut de reliquis magnis praesidiis et adjumentis taceam, quibus viam nobis muniunt ad sensus poetae saepe obscuros recte percipiendos, lectiones et interpretationes quas afferunt, non solum per se ipsae propter antiquam auctoritatem magni ad *κρίσιν* momenti esse debent, sed propterea quoque magni aestimandae, quod textum Horatianum a librariorum temeritate ac depravatione quodammodo tutum nobis servaverunt. Sicubi enim librariorum licentia ad perversa aberraret, lectores in illorum auctoritate confugium habebant. Sic Artis poeticae textum ex copiosis scholiastarum commentariis fere constituere, certe plurimis locis tueri licet. Quare minor in A. poetica, quam in ceteris libris lectionis diversitas, quae statim apparet, ubicunque scholia nos deserunt (ut v. **115. 116. 236** al.). Utinam ita plenos ad carmina lyrica commentarios haberemus, quorum textus propter ipsum hunc defectum minus emendatus et conjecturis obrutus est.

Itaque res praeclare se haberet, si scholiastae veteres textus Horatiani lectionem certa vetustissimorum librorum auctoritate aut docta aliqua noti grammatici recensione antiquitus constitutam et emendatam nobis offerrent. Sed id ipsum omnino desideramus. Tantum enim abest, ut eorum commentarii certam quandam et aequabilem lectionis normam prae se ferant, ut non modo innumeris locis eorum lectiones inter se dissideant, sed saepe ipsi quoque uno eodemque loco varias lectiones afferant ac de iis judicia sua interponant.[9]) Nec minor lectionis est differentia, adeo major saepe in locis ab antiquis grammaticis citatis, quos omnes excerpsimus. Quorum nonnullis etsi minor fides habenda, quod non raro ex memoria citare solent, eos omnes tamen vetustissimis esse codicibus usos constat. — Hunc antiquissimorum testium in lectionibus Horatianis dissensum si consideramus (ne de orthographiae varietatibus loquar, quae nimirum ex librariorum cujusque saeculi consuetudine pendet) non possumus, quin statim post Horatii obitum, fortasse ipso etiam vivo, ex singulis vocibus totisque ejus locis ac versibus, partim librariorum incuria ac negligentia, partim grammaticorum licentia ac temeritate immutatis, varias omnis generis lectiones, adeo interpolationes in ejus scripta multis exemplaribus vulgata ac varie disseminata irrepsisse statuamus, nec recensionis ab erudito aliquo grammatico ad certam et aequabilem normam institutae, quae posteris exemplis descriptis pro fundamento esse potuerit, (si fortasse Q. Terentii Scauri commentarios ad Artem poeticam excipimus) ullum vestigium apparet.

Rem sic se habere putamus. Horatii poemata, lyrica et iambica non minus dico quam Satiras et Epistolas, cum propter argumentorum novitatem pariter ac propter compositionis artem et formae praestantiam mox in ora hominum venissent, ut quibus nova prorsus Romanae poesis species con-

---

*et insula hoc nomine, sicut* H e l e n i u s *testatur, in qua elleborum plurimum nascitur et alibi (v. 166): Naviget. Anticyram: et est Propontidis insula.*" Acronis verba sunt: „*Anticyra nomen est insulae Propontidis, in qua multum hellebori nascitur, quod quidem depellere dicit(ur) mentis insaniam medicina.* — Acronis commentarium Porphyrioni ad manus fuisse videmus. Sed innumeris locis, in quibus et in sententiis et in verbis conspirant, non hunc ex illo sua exscripsisse, sed utrumque ex antiquioribus hausisse fontibus persuasum habemus.

9) Lectionis inter utrumque crebram differentiam quod per omnes libros persequi longum et inutile est, modo ex Sat. I, 1 — 3 notamus. Sat. 1, 38. quaesitis p a t i e n s Acr. s a p i e n s Porph. — 2, 14. mercedes e x s e c a t. Acr. e x i g i t. Porph. — 86. o p e r t o s inspiciunt. Acr. a p e r t o s. Porph. — 3, 25. cum tua p e r v i d e a s. Acr. p r a e v i d e a s. Porph. — 86. ut R u f o n e m debitor. Acr. ut D r u s o n e m. Porph. — Ex variis quas ipsi afferunt et judicant, lectionibus has notamus: I, Od, 2, 31. n u b e c a n d e n t i melius quam c a n d e n t i s h u m e-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

deretur, eique cum hominum aemulorum invidia (cf. I. Sat. **10**, **78** — **80**. *Men' moveat cimex Pantilius?* cett. II. Od. **16**, **40**. *et malignum spernere vulgus.* II. Od. **20**, **4**. *invidiaque major urbes relinquam*) et laesorum odiis (I. Sat. **4**, **78**. *Laedere gaudes*, *inquit*, *et hoc studio pravus facis.* et **II**. Sat. **1**. tota), principum civitatis virorum, Maecenatis, Pollionis, Messalae, al. (quos ipse enumerat in Sat. **10**. extr.) atque ipsius Augusti (qui *scripta ejus vehementer probavit mansuraque perpetuo opinatus est.* Sueton. in Vita.) gratiam et favorem, tandem autem, procedente tempore, omnium admirationem peperissent (IV. Od. **3**, **22**. *quod monstror digito praetereuntium Romanae fidicen lyrae*) ut justo immortalitatis futurae sensu de se profiteretur: *Exegi monumentum aere perennius*: fieri non potuit, quin ejus scripta mox vulgarentur et multis exemplis per urbem atque Italiam, adeo per provincias (I. Ep. **20**, **13**. *Aut fugies Uticam aut vinctus mitteris Ilerdam.*) disseminarentur. Accedebat, ut ejus scripta ad ipsam vitam veritatemque pertinentia propter multas, quas tangebant, rerum hominumque conditiones paucis satis notas, cum interpretatione egerent, procul dubio mox a grammaticis praelegi in conventibus ac scholis explanarique coeperint. Fuerunt autem Horatii aetate grammatici nobiles haud pauci, quos Suetonius memorat: Orbilius Pupillus Beneventanus, ipsius Horatii praeceptor (II. Ep. **1**. **70**) ipsi superstes, Attejus Philologus, Valerius Cato (I. Sat. **10**. init.) Lenaeus, Q. Caecilius Epirota, Verrius Flaccus, L. Crassitius, Scribonius Aphrodisius, C. Julius Hyginus, C. Melissus, al. E quibus Caecilium Epirotam, Pomponii Attici libertum, omnium primum Virgilium et alios poetas novos (ergo fortasse etiam Horatium) praelegere coepisse Suetonius tradit Ill. Gramm. c. **16**. Ita poetae nostro, quamvis, contentus paucis lectoribus (I. Sat. **10**, **74**.) neccuiquam nisi amicis, idque coactus, recitare solitus (I. Sat. **4**, **73**.) grammaticorum tribus et pulpita refugeret (I. Ep. **20**, **40**.) id evenisse videtur, quod ipse maxime perhorrescebat (I. Sat. **10**, **75**. *an tua demens vilibus in ludis dictari carmina malis?*) ut ipsius carmina in ludis dictarentur (pejus etiam auguratur sibi I. Ep. **20**, **17**.) et a grammaticis exponerentur. Qui quomodo versati sint in poetis tractandis, locus apud Sueton. Ill. Gr. c. **24** de M. Valerio Probo Berytio, nos docet: „*Legerat in provincia quosdam veteres libellos apud grammatistam, durante adhuc ibi antiquorum* (velut Livii, Ennii, Pacuvii, Attii, Plauti, Lucilii) *memoria, necdum omnino abolita, sicut Romae — multaque exemplaria contracta emendare ac distinguere et annotare curavit, soli huic, nec ulli praeterea grammatices parti deditus.*“ — Ergo primum grammatici textum scriptoris emendabant, tum interpunctioni operam dabant, denique notis et observationibus illustrabant. Ita Horatii scripta a variis grammaticis recensita esse et sic lectionis varietates jam proximis ab ejus obitu saeculis esse ortas et divulgatas, verisimile est, praesertim quod auditoribus textum dictare grammatici consueverant.

Hac ratione intellecta et probata explicari modo potest, unde factum sit, ut scholiastae nostri, Acron atque Porphyrio, ad singulos poetae locos non solum variorum interpretationes ex variis qui aderant, in ejus scripta commentariis attulerint, et cum variis codicibus inter se minime conspirantibus uterentur, in textu ordinando et in lectione constituenda vel ipsi haud raro dubitarint vel inter se saepissime dissenserint, sed etiam interpolationes ipsorum aetate longe antiquiores

ros. Acr. (5, 14. uvida melius quam humida. Schol. Cruq.): — 18, 1. Nullam Vare sacra: et vere novo. utrumque legit et expl. Acr. — III. Od. 6. fingitur artubus legendum, quia non venit a nominativo artes, sed artus. Porph. — 27, 3. rava, fulva s. subnigra, aut rauca i. e. vocis obtusae. Acr. — Epod. 3, 3. edat autem dicendum potius quam edit. Porph. — Carm. saec. tempore sacro. non tempore prisco dicendum est. Porph. — I. Sat. 1, 115. suis vincentibus, vel suos. Acr. — 2, 2. balatrones. legitur et barathrones. Acr. — Haec attulisse satis putamus, quae multis aliis cumulare possimus exemplis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

pro Horatianis locis habuerint et in commentariis suis interpretati sint. In his numeramus locos dudum a criticis damnatos, quos tamen scholiastae ambo agnoscunt: **III. Od. 4, 69 — 72.** *Testis mearum centimanus gigas — domitus sagitta* (de voce gigas v. not. **7.**) — **III.** Od. **11, 17 — 20**: *Cerberus, quamvis furiale centum — Ore trilingui.* — **III.** Od. **17, 2 — 5.** *Quando et priores hinc Lamias ferunt — ducis* (sic mss. omnes) *originem*: quos tamen versus Porphyrio non agnoscit. — **IV.** Od. **4, 18 — 22.** *quibus Mos unde deductus — Nec scire fas est omnia.* — **IV.** Od. **8, 17.** *Non incendia Carthaginis impiae.*[10]) — **I.** Epist. **1, 56.** *Laevo suspensi loculos tabulamque lacerto.* — — Ad hoc locos addimus: Epod. **9, 35. 36.** *Vel quod fluentem nauseam coerceat, Metire nobis Caecubum*, quos versus cum Peerlkampio pluribus de rationibus Horatianos non esse putamus. — **II.** Sat. **7, 63 — 65.** *In corruptorem vel justior*: *illa tamen se Non habitu mutatve loco, peccatve superne, Cum te formidet mulier neque credat amanti*: quos versus pro spuriis et supposititiis habemus, id quod suo loco probabimus. — Alios locos certe antiquissimos, qui in libris msctis nonnullis etiam vetustioribus leguntur, Scholiastae ignorant, ut paucissimis

---

10) Non attinet hoc loco argumenta repetere, quibus post Dacerii reprehensionem magnus Bentleius hunc versum in perpetuum damnavit et exsulare jussit, recte assentientibus V. D. Janio in Ed., Buttmanno in Mythologo T. II. p. 367. et Lachmanno V. Cel. in libro: Zeitschrift f. Alterthumswiss. 1845. No. 61. 62: frustra renitentibus aliis jam inde a Cuningamio usque ad Orellium, frivolisque et levidensibus conjecturis opem ferre conantibus. Sed aliud etiam haud leve vitium in hoc ipso loco latet a criticis nondum animadversum, donec magnus God. Hermannus in Epitome doctrinae metricae §. 578. Ed. II. notavit et transponendis versibus tollere conatus est sic: *Non incisa notis marmora publicis | Ejus qui domita nomen ab Africa | Lucratus rediit, clarius indicant | Laudes, quam Calabrae Pierides; neque | Si chartae sileant quod bene feceris)| Per quas spiritus et vita redit bonis | (Post mortem . . . . . .)| Mercedem tuleris etc.*

